Th. 10[illegible]. 6. aß.

123. 10.

BLIOTHEEK GENT
075921
Digitized by Google

H. L. F. Bernardus de Smedt Eremi
Augustinianus: acqsivit Tenerermonde
anno 1685.

Digitized by Google

Digitized by Google

# CAVTIO CRIMINALIS

Digitized by Google

Digitized by Google

# CAVTIO CRIMINALIS;

Seu

# DE PROCESSIBVS CONTRA SAGAS

## Liber.

*AD MAGISTRATVS Germaniæ hoc tempore neceſſarius,*

Tum autem

*CONSILIARIIS, ET CONFESSARIIS Principum, Inquiſitoribus, Iudicibus, Aduocatis, Confeſſariis Reorum, Concionatoribus, cæterisq́; lectu vtiliſſimus.*

AVCTORE

INCERTO THEOLOGO ROMANO

*EDITIO SECVNDA.*

Bibl: Augustin[illegible]

[illegible] 1737

FRANCOFVRTI,

Sumptibus IOANNIS GRONAEI Auſtrij.

ANNO MDCXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# Lectori Salutem

## *De ſecunda hac Editione.*

CVm prima Editio huius libri, quam præhabita approbatione Facultatis Iuridicę Rinthelenſis, protulerat ſuperioribus Nundinis Petrus Lucius Typographus Academicus ibidem; plurima excitauerit ingenia non ſolum egregie piorum ſed etiam doctorum; vt exiſtiment rem hanc de multitudine maleficorum in Germania debere accuratius & ſine præiudicio examinari; itemq; oportere exemplo Danielis ſerio impoſterum à ſummis Magiſtratibus inquiri in Proceſſus hactenus ſeruatos: Cumq; etiam Reſpublicæ nonnullæ & Principes conſcientia tacti fuerint, & Proceſſus ſuos mox ſuſpenderint, libro hoc viſo & diligenter examinato; maxime vbi iis ſimul ſuggereretur, qualiter quidam eorum Commiſſarij & Iudices minime ſeruarent Conſtitutionem Criminalem Carolinam, & quidem in quibuſdam punctis maximi momenti, quæ nemo fere hactenus aduertit: Inde viſum eſt



Digitized by Google

multis, atque etiam nonnullis Spiræ in Camera & in aula Imperatoris plane expedire, vt rurſum quantocyus recuderetur, & ſic via ſterneretur ad vlterius conſiderandum, & eruendam veritatem: præſertim quoniam agitur de ſanguine humano & fama non ſolum Germaniæ, ſed & fidei Catholicæ: atque exemplaria omnia editionis primæ ſic ſubito intra paucos menſes diſtracta ſunt, vt nullum iam amplius haberi potuerit quantocunque pretio. Quare vt plurimorum deſideriis fiat ſatis, curaui meis ſumptibus recudi, vſus exemplari manuſcripto quod Marpurgo mihi communicauerat vir amiciſſimus. Tu Lector fruere, & vale.

*Ioannes Gronæus Auſtrius*
*I. C.*

Digitized by Google

# EPITOME
## Seu
# SVMMA LIBRI.

VIDI ſub Sole in Loco IVDICII IMPIETATEM, & in Loco IVSTITIÆ INIQVITATEM. *Verba ſunt Eccleſiaſtæ cap.3.v.16.*

*Et nunc Reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram.* Verba ſunt Dauidis Pſal.2. v.10.



Digitized by Google

MAgiſtratibus Germaniæ inſcripſi librum: iis vtique qui lecturi eum non ſunt; non iis adeo qui lecturi. Ratio eſt: nam qui eius ſolicitudinis Magiſtratus fuerint, vt legendum ſibi putent quæ de cauſis Sagarum hic perſcripſi, iam id habent propter quod librum legi oportebat: curam nempe ac diligentiam in his cauſis pernoſcendis; vnde legere, & hæc inde ſumere non eſt neceſſe. Qui vero eius ſunt incuriæ, vt hæc talia lecturi, & curaturi non ſint; iam ij ſane vt vel maxime hæc legant, atque ex libro hoc ſoliciti ac diligentes eſſe diſcant, nimis eſt neceſſe: legant igitur qui lecturi non ſunt: qui ſunt; ne legant quidem, &c.

Siue tamen lecturus aliquis hunc librum eſt, ſeu non lecturus, id deſiderem, vt ſit nemo, qui non vnicum ſaltem quod libri huius dubium vltimum eſt, legat, & cum animo ſuo perpendat. Imo id primum omnium legi ante reliqua, nec inutile, nec præter ordinem futurum eſt.

IN-

# INDEX
## Dubiorum ſeu Quæſtionum huius Libri.

### I.

*AN Sagæ, Striges, ſeu Malefici reuera exiſtant.* pag. 1.
2. *Pluresne Sagæ ſeu Malefici in Germania ſint ac alibi.* 3
3. *Quale crimen ſit Sagarum ſeu Maleficorum.* 8
4. *An crimen hoc ſit ex genere Exceptorum.* 8
5. *An contra Excepta formare liceat proceſſum pro arbitrio.* 10
6. *An bene faciant Principes Germaniæ, cum in crimen Sagarum acriter procedunt.* 12
7. *An acri hoc medio ſat extirpari hoc malum poſſit? & an alia qua ratione poſſit?* 14
8. *Quam caute Principes in hoc crimine procedere debeant.* 16



Digitized by Google

9. *An Principes ſat liberent conſcientiam ſi parum ipſi ſolliciti curam omnem in Officiales ſuos reiiciant.* 26

10. *An credibile ſit Deum permiſſurum vt aliquando innocentes ſimul inuoluantur.* 44

11. *An credibile ſit permiſſum id eſſe de facto, vt innocentes quoque inuolutæ ſint.* 49

12. *An ceſſandum ſit ab inquiſitione contra Sagas, ſi conſtet multas innocentes de facto inuolui.* 57

13. *Quid ſi periculum innocentibus immineat ſine mea culpa, an adhuc abſtinendum à perſecutione nocentum.* 61

14. *An expediat inſtigare Principes ac Magiſtratus ad inquiſitionem contra Sagas.* 67

15. *Qui maxime iÿ ſint, qui Magiſtratum contra Sagas identidem inſtigant.* 72

16. *Qui poſſit in Proceſſibus contra Sagas caueri ne innocentibus periculum creetur.* 80

17. *An captis in cauſa Magiæ permittenda defenſio ſit & Aduocatus concedendus.* 94

18. *Quæ Corollaria ex proxime dictis colligantur.* 103



Digitized by Google

19. *An de captis nomine Maleficij, mox præſumendum ſit eas omnino reas eſſe.* 114

20. *Quid de tormentis ſentiendum, an periculum morale & frequens innocentibus inducant.* 124

21. *An accuſata veneficij ſæpius torqueri poſſit.* 154

22. *Cur multi Iudices hoc tempore ægre reas abſoluant, etſi ſe per torturam purgarunt.* 163

23. *Quo prætextu obtineri poſſe videatur ut liceat tormenta repetere ſine nouis indiciis.* 167

24. *Quomodo Iudex ſcrupuloſus, qui ſine nouis indiciis torquere non audeat, facile noua indicia reperiat.* 174

25. *An nouum indicium ſit Maleficium taciturnitatis.* 179

26. *Quæ ſigna maleficij taciturnitatis afferri ſoleant à malitioſis & imperitis.* 186

27. *An tortura aptum medium ſit ad reuelationem veritatis.* 194

28. *Quæ ſint argumenta eorum, qui continuo vera putant eſſe, quæ rei in torturis confeſſi ſunt.* 198

29. An

29. *An tortura, cum adeo periculoſa ſit, ex vſu tolli debeat.* 209
30. *Quæ præcipue documenta Confeſſariis Sagarum tradenda putemus.* 212
31. *An ante torturam mulieres per lictorem tonderi conueniat.* 241
32. *Quibus ex cauſis ad torturam procedere liceat.* 244
33. *Cuius ſit arbitrari quæ indicia in ſpecie talia ſint vt profere-plenis probationibus haberi poſſint.* 248
34. *An ſola fama non aliis claris & firmis probationibus ſuffulta ad torturam indicium det.* 254
35. *An Magiſtratus teneantur hoc tempore ſerio inquirere & punire detractores & calumniatores.* 267
36. *An tunc ſaltem ſola fama ſufficiat ad torturam, cum crimina difficilis probationis ſunt.* 274
37. *An vniuerſim probationes quæ in vulgaribus criminibus non ſufficerent, ſufficiant in Exceptis & occultis difficilis probationis.* 281
38. *An nullo ſenſu verum ſit axioma paſſim vſurpatum in criminibus occultis & difficilis*



Digitized by Google

*cilis probationis facilius iri poſſe ad torturam quam in aliis.* 291
39. *An, quæ nihil in torturis confeſſa eſt, damnari poſſit.* 295
40. *An criminis ante confeſſi reuocatio facta in loco ſupplicij alicuius momenti habenda ſit.* 305
41. *Quid præſumendum circa eas quæ in carceribus mortuæ reperiuntur.* 321
42. *Quando tuta conſcientia iudicari poſſit repertum cadauer à ſe ipſo vel Dæmone iugulatum eſſe.* 329
43. *Quid ſentiendum de ſtigmatibus, an ea probum ſignum ſint ad Sagas agnoſcendas.* 334
44. *An magnifaciendæ ſint denunciationes complicum in crimine Magiæ.* 338
45. *An ſaltem denunciationibus credi debeat ob denunciantium pœnitentiam.* 360
46. *An ſaltem denunciantibus credi debeat ſi infallibiliter certum ſit vere conuerſas eſſe & verum dicere velle.* 368
47. *An Dæmon in conuentibus Sagarum repræſentare poſſit innocentes.* 374
48. *Quæ ſint argumenta eorum qui aiunt*



Digitized by Google

*Dæmonem non poſſe in tripudiis repræſentare innocentes.* 378

49. *Quæ ſint argumenta eorum qui denunciationibus Sagarum omnino fidem habendam eſſe volunt, ac ſufficere aiunt ad denunciatas torquendas.* 399

50. *An Iudex alterutram ſententiam ſecure amplecti poſſit, ſeu illorum quæ contemnit, ſeu aliorum quæ magnifacit denunciationes.* 430

51. *Quæ ſit breuis ſumma & methodus Proceſſuum contra Sagas hodie apud multos in vſu, digna quam Diuus Cæſar intelligat, & Germania conſideret.* 434

52. *Appendix, Quid poſſint torturæ & denunciationes.* 452

SENE-

Digitized by Google

SENECA lib. 6. de bene-
ficiis cap. 30.

*Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poßidentibus deſit: ſcilicet*

*ILLE QVI VERITATEM DICAT.*

Digitized by Google

## *Errata ſic corrige.*

Pagina 4. linea 13. exertant lege exerrant. pag. 9. li. 19. ſicut lege ſic vt. p. 42. li. 6. Gaiæ lege Gaia. p. 84. l. 15. Itaque lege Itane. p. 87. l. vlt. timent lege timeant. p. 128. l. 4. à fine, non non lege non. p. 157. l. 10. priora lege priore. p. 198. l. 8. reprehenſione lege apprehenſione. p. 206. li. 9. denuaciantis lege denunciantis. p. 222. l. 5. vere lege vero. p. 223. l. 9. à fine, ſinant Sacerdotes: Ipſi lege ſinant: Sacerdotes ipſi. p. 237. l. 12. tempeſtiuis lege tempeſtiuius. p. 291. l. 10. exemplum lege exemptum. p. 354. l. 15. quæ lege quam. p. 379. l. 3. vocum lege eorum. p. 380. l. 6. à fine, nouiſſe lege nouis eſſe. p. 401. l. 19. ſæuire lege ſeuere. p. 424. l. 5. ſi ita lege ſit ita. p. 437. l. 3. grauis lege grauius. p. 441. l. 5. à fine, vt lege vel. p. 442. l. 10. cur lege eu. p. 451. l. 7. euolant lege euoluant.

CAV-

Digitized by Google

# CAVTIO CRIMINALIS

## SEV
## De Proceſſibus contra Sagas
## LIBER.

### DVBIVM I.

*An Sagæ, ſtriges ſeu malefici reuera exiſtant?*

RESPONDEO, Quod ſic. Etſi enim ſcio nonnullos in dubio poſuiſſe, etiam Catholicos & doctos quos nominare non attinet: etſi etiam quidam non temere ſuſpicari ſibi videntur, fuiſſe aliquando in Eccleſia ea tempora in quibus de corporalibus Sagarum conuentibus creditum non fuit: Etſi denique ipſe ego dum cum variis eius criminis reis in carceribus egi frequentius ac attentius, ne dicam, curio-

 ſius,

Digitized by Google

ſius, ita non ſemel animum inuolui, vt quid tandem huius rei crederem pene ignorauerim, nihilominus vbi ſummam tandem colligo perplexarum cogitationum, id omnino tenendum exiſtimo, reuera in mundo maleficos aliquos eſſe, nec id ſine temeritate, ac pręposteri iudicij nota negari poſſe. Videantur auctores, qui argumentum hoc profitentur, Remigius, Delrius, Bodinus, & alij: noſtri inſtituti non eſt hic morari. Tot autem eſſe & eas omnes, quæ hactenus in fauillas euolarunt: neque credo vel ego, vel multi quoque mecum pij viri, neque adęo vt credam facilè perſuadebit, quiſquis mecum non impetu & clamore vel authoritate pertendere, ſed iudicio & ratione rem examinare volet. Id quod lectorem meum velle, per eam charitatem, quam legifer noſter Chriſtus vehementer voluit inter aſſeclas ſuos accendi, maximopere precor. Si quis zelum habet, & frendet in magiæ crimen, comprimat ſe tantiſper, & addat zelo ſcientiam ac conſiderationem, quam fortaſſe non habet.

Non

Digitized by Google

Non omnis impetus à virtute eſt, nam & quidam à natura ſolùm. Virtus moderata & modeſta eſt, atque amat inſtrui, nec ideo minor eſſe timet, cum ſit inſtructior. Quod ſi impetu ruimus, &, quia ſcire omnia apprehendimus, detrectamus diſcere, quid eſt mirum ſi nos veritas in multis fugit? Age lector, & ſepoſito præiudicio modeſtè ſequere quo te manu mea pedetentim ducam; non pigebit multa lentè & moroſè conſideraſſe.

## DVBIVM II.

### *Pluresne Sagæ ſeu malefici in Germania ſint ac alibi?*

RESPONDEO, Queſtio eſt de re quam neſcio: dicam tamen verbo otij eludendi cauſa quod occurrit. Itaque videntur ſaltem & putantur plures in Germania ac alibi reperiri.

RATIO eſt. Nam imprimis conſtat in Germania paſſim fumare omnia incendiis, quæ hanc luem depaſcant, claro vtique argumento quam latè omnia afflata eſſe fateantur: Ita quidem vt non



Digitized by Google

parum inde nomini Germanico detra-ctum ſit apud hoſtes noſtros, ac, vt loquitur Scriptura fœtere fecerimus odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius, Exod.5.v.21.

Deinde nutrimus hanc opinionem de multitudine apud nos Sagarum ex duob.capitibus, quæ notatu digna ſunt.

PRIMVM eſt *vulgi imperitia ſeu ſuperſtitio*, Quod ſic oſtendo. Docent omnes Phyſici, naturaliſſimè cauſari etiam ea, quæ ſubinde à communi ordine naturę nonnihil exertant, & extraordinaria vocari ſolent, vt imbrem aliquem effuſiorem, ſæuiorem grandinem & pruinam, illuſtrius tonitru & ſimilia.

Docent & medici etiam pecora non ſecus ac homines ſuis morbis ſubdi, exiſtere in hominibus & pecoribus multas ſæpe affectiones nouas, quæ nec ipſis ſatis exploratæ ſint, mira multa in natura latêre, quæ ſubinde in lucem ſe exerant cum admirabilitate eorum, qui naturæ diuitias ignorant: nec doctiſſimum quemquam omnium retro ſæculorum eius vim omnem complecti indagando po-



Digitized by Google

potuiſſe &c. Hæc illi: Prodat ſe tamen quicquam tale in Germania maximè apud homines paganos; inuadat pecora peſtis aliqua, turbetur cœlum & indignetur vehementius, neſciat medicus morbi alicuius noui ingenium, aut morbus veterrimus non mox arti obtemperet, deniq; eueniat quippiam ſiniſtrum qualecunque, quod extra ordinem putetur eſſe, iam nos neſcio qua leuitate aut ſuperſtitione aut ignorantia ducti, continuo ad maleficia traducimus mẽtem, & in Sagas coniicimus cauſam. Ibi omnem nos rei fontem manibus tenere exclamamus: Tum vero vt quamque vidimus inter hæc fortè tranſeuntem, adſtantem, venientem, hæc vel iſta ſic caſu facientem aut dicentem (neceſſario autem quædam ſemper anteceſſiſſe, aut cõcurriſſe aut ſecuta eſſe oportuit) ſiniſtra interpretatione in culpã vocamus; & quæ eſt malignitas naturæ noſtræ, per omnem viciniam ſuſpicionem mouemus. Vnde mirum non eſt, ſi intra paucos annos accreſcens fama nos admodum locupletet: præſertim cum nec

 mo-

Digitized by Google

moueant ſe hic concionatores & ſpirituales viri, ſed ipſi potius in eadem culpa ſint, nec inuentus vllus Magiſtratus in Germania ſit, quod ſciamus, qui in peſtilentiſſimas has ſuſurrationes zelum ſuum diſtrinxerit, de quo plura infra, dubio 35. Cautiores aliæ ſunt nationes, à quibus hac parte ſuperari pudor ſit: nam ſiquidem apud eos puer aliquis aut pecus morbo tabeſcit, ſi verberatur arbor, aut ſeges calamitatem patitur, ſi pauperiem aura facit, ſi locuſta aut mus agrum exedit, totam mali originem à Deo repetunt ſeu natura; nec niſi ea tantum, quæ manifeſto deprehendunt, & docti iudicant, naturæ leges egredi, tum demum maleficiis aſſcribunt.

SECVNDVM eſt eiuſdem *vulgi inuidia & maleuolentia*, Quod ſic oſtendo: Nulla non alia natio concedet, quoſdam ſemper eſſe, quibus Deus benedictionē aliquam in bonis temporalibus largiorem impertiatur, vt quod celerius ſua omnia diſtrahant præ cęteris, quod emant fortuna aliqua fauentiore præ cæteris, atque, vt verbo dicam, augeantur & diteſcant

ſcant præ cęteris. Contingat tamen hoc quoque in Germania inter vulgus: mox ſunt aliqui ex vicinis, quibus tardior à tergo fortuna eſt, qui capita conferant, & conflato murmure de magia ſuſpiciunculas ſuſcitent: quæ tum demum fortius ſe attollunt, ſi eorum quempiam, quos æmulantur, viderint in templis deuotiorem, aut ſertum ſuum precarium alibi quam in templo geſtantem, aut in genua forte ad orandum in agro aut cubiculo proſtratum, & ſimilia; vt exempla mihi multa non deſunt, quorum me nomine Germanorum pudet. Res indigna ſanè & apud alias nationes plane inaudita, quæ, quod hos duos fontes obſtructos habent, hinc pauciores apud eos quam apud nos malefici ſunt. Nullas interim apud nos Sagas eſſe non dixero. Concedam eſſe, ſed id addo, fore vt prudens Lector facilè ex iis quæ deinceps dicenda erunt, intelligat, ſi ita agitur, vt nunc paſſim agi dicam, quam omnino neceſſe ſit, in tanta hactenus exuſtarum multitudine, quam plurimas innoxias intereſſe: atque adeo

nihil in Germania incertius, quam reas numerari poſſe.

## DVBIVM III.

*Quale crimen ſit Sagarum ſeu maleficorum?*

RESPONDEO, Enormiſſimum, grauiſſimum, atrociſſimum.

RATIO eſt: Quia in eo concurrunt circumſtantiæ criminum enormiſſimorũ, apoſtaſiæ, hęreſis, ſacrilegij, blaſphemię, homicidij, imo & parricidij, ſæpe & concubitus contra naturam cum creatura ſpirituali, & odij in Deum, quibus nihil poteſt eſſe atrocius, Verba ſunt Delrij l. 5 Sect. 1. de quo argumento tamen alio libello latius diſquiram. Res indiget examine nouo, & accurato; diciq; poſſit quod aiebat ille: *Reuertimini ad iudicium*, Dan. 13. v. 49.

## DVBIVM IV.

*An crimen hoc ſit ex genere exceptorum?*

RESPONDEO, Quod ſic. Nota enim, ſolere Iuriſconſultos duplicis generis crimina ſtatuere, alia communia & vul-

&vulgaria,vt furtum,homicidium,& ſimilia, alia atrociora & grauiora,quæ directè magis vergunt in damnũ rei communis, ac mirifico quodã modo Remp. affligunt, qualia ſunt *crimen læſæ maieſtatis*, l.fin. C.de accuſationibus, & l. quoniam liberi, C.de teſtibus &c. *crimen hæreſeos*, cap.in fidei fauorem, l.6.de hæreticis,*crimen Sagarũ*,l.fin. C.de maleficis& mathematicis,*crimen proditionis*,l.penul. & fin.C.ad legem Iuliam Maieſtatis,*crimen coniurationis*, c.fin.de teſtib.cog. *crimen falſæ monetæ*, l.fin. C. de falſ. monet. *crimen latrociniȷ*, l.D.Adrianus, ff. de cuſtodia & exhibit. reor. & l. penult. C.de feriis, quæ crimina vocari ſolent Excepta. Nomen hoc inde eſt, quod excipiantur à communi ſeu ordinaria legis diſpoſitione, ſicut opus non ſit contra ea ſe adſtringere ad eum procedendi modum, quem alioqui in aliis præſcribunt iura.

Ratio huius eſt, quia cum pernicioſiſſima Reip. ſint, atque eam extraordinariè lædant,æquum videtur ſi extraordinariis quoque mediis cohibeantur.

# DVBIVM V.

*An igitur contra excepta formare liceat Proceſſum pro arbitrio?*

RESPONDEO, Non licet.

RATIO eſt. Etſi enim vt iam dixi Excepta ſunt ab eo, quod humanę leges Poſitiuæ, non tamen quod humana ratio ſeu lex naturalis præſcribit. Itaque qualiſcunque tandem contra ea Proceſſus fiat, ſiue intra ſeu extra communem ordinem iuris, huiuſmodi tamen fieri neceſſe eſt, in quo nihil ſit omnino, quod cum recta ratione contendat. Clarum id eſt per ſe, nec indiget probatione: Nemo enim dicet, licere aliquid, quod ſit contra rationem. Moneo autem ea cauſa, quia animaduerto, Iudices quoſdam, dum contra Sagas inquirũt, liberiores eſſe quam oportet, excuſantes omnia per hoc, quod ſit crimen Exceptum. Itaque ſi futilia habuere indicia, ſi modum exceſſere in torquendo, ſi nimis creduli fuere, ſi negauere defenſionem, & ſimilia, quæ à ratione deſerũtur, identidem hoc velut ſcutum ob-

obiiciunt; Exceptum fuiſſe crimen, in Exceptis ampliſſimam eſſe arbitrandi libertatem, prout deinceps hinc inde *ſæpius* inſpergam. Sed niſi plane iniqui eſſe velimus, illud ſibi omnes Iudices velut generale quoddam principium atque inconcuſſum axioma præfixum habere debent, *in omni crimine ſeu excepto ſeu non excepto aliter Proceſſum formare non licere, quam recta ratio permittat.* Deinde vero falſiſſimum quoque eſt licere in exceptis ab *Omnibus* ſimpliciter recedere, quæ à legibus poſitiuis præſcripta ſunt. In *Quibuſdam* tantum licet, non Omnibus; neque enim aliud ex vllo *iure* colligi poterit: vt proinde ſatis hinc arguatur multorum imperitia, ac bene doceat *Farinacius q.37. nu.90.* hanc doctrinam, quod in exceptis liceat ordinem iuris negligere, vel ſtrictè loquendo eſſe *falſam*, vel intelligi ſolum oportere *de punitione tantum*, quando iam non amplius quæritur, ſed cum conſtat de delicto, quaſi hæc ſeuerior eſſe poſſit, quam communiter alioqui leges præſcribant, & hanc eſſe ſenten-

tiam

citiam plurimorum Doctorum quos citat, & nos breuitatis cauſa omittimus: lege de hoc etiam *Maſcardum vol.3.concl.* 1311. Sed quicquid ſit, neque enim hic hærere lubet, id extra controuerſiam eſt, non licere in exceptis quicquam, quod rectæ rationi aduerſum ſit.

## Dvbivm VI.

*An bene faciant Principes Germaniæ, cum in crimen Sagarum acriter procedunt?*

Respondeo, Longiſſime abſit à me, vt arguam Magiſtratus, cum vehementer in hoc crimen ſe concitant: voluit eos imperare nobis Deus & nos parêre. Rationes ſuas habent, quas conſiliarij iis dictant, & ſunt iſtæ:

Ratio I. Purgant (vt aiunt) Remp. ab inſigni peſte, quæ vt cancer ſerpit & contagione nocet.

Ratio II. Anteuertunt damna & clades, à quibus machinandis mancipia illa Sathanæ nunquam ceſſant.

Ratio III. Satisfaciunt officio ſuo, & vocationi: Sic enim Apoſt. ad Rom. 13. loquitur de Magiſtratu: *Non ſine cauſa gla-*

*gladium portat, Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram illi qui male agit.* Ita quidem vt ſi contra bonum commune omittāt punire reos ſine legitima cauſa grauiſſime peccent, & criminis fiant participes ex *c.1.de offic.& poteſt.Iudicis de leg.*& ex Innocentio, Baldo, Decio, Barbatio, Panormitano & reliquis Doctoribus; teneanturque ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde vel in Rempubl. vel in priuatos redundant, vt definitur ex dicto c. de Offic. de leg. eſtq; communis ſententia Theologorum *D. Thomæ 2.2. qu.26. Syluestri, Caietani in ſumma V. reſtitutio, Dominici Soti l. 4. de iuſtitia & iure. q.7. a.3. Medinæ in Cod. de rebus reſtituendis, & aliorum,* quos longum ſit recenſere.

Ratio. IV. Oſtendunt zelum ſuum, quem habent tuendi honoris diuini, dum in capitales eius hoſtes laqueo & flamma graſſantur. Bene igitur faciunt, nec culpari poſſunt, monente inſuper Scriptura: *Ne maleficos viuere patiantur.* Exod.22.

Dv-

Digitized by Google

# DVBIVM VII.

*An acri hoc medio ſat extirpari id malum poſſit? & an alia qua ratione poſſit?*

RESPONDEO, Quantumuis vrant Principes, non exurent vnquam, niſi omnia exurant: vaſtant terras ſuas, pluſquam vllum bellum, nec hilum proficiunt: res eſt vel ſanguine deflenda. Sunt igitur, qui media mitiora ſuggerant, in quibus diſcretione & prudentia pollere mihi ſemper viſus eſt inſignis Societatis Ieſu Theologus Tannerus Tomo 3. Theologiæ, diſput. 4. de Iuſtitia, quæſt. 5. dub. 5. nũ. 123. & ſequentib. cuius ſi media quæ præſcribit audire Principes vellent, non eſt dubium, quin fructum Reſp. experiretur. De me quidem vt candidè dicam, multa in hanc rem animo verſaui, & excogitare ſum conatus, multos etiam ad Deum gemitús ac preces à multis aliis fuſos ſcio, ſi quem radium ſuæ lucis dimitteret, & qua maximè ratione tanta caligo planè poſſet diſcuti edoceret. Verùm eam video eſſe temporum conditionem, vt ſi

vel

Digitized by Google

vel repetiſſe quid tale contigiſſet, non videretur Magiſtratus Germaniæ quicquam penſi habituri: vnde neque me hactenus in eam poſſum impellere ſententiam, vt exponere in publicum velim, quod neſciam qua eorum pace & affectu ſim facturus. Quod ſi verò eſt quiſpiam ſummorum Magiſtratuum eius animi ac curioſitatis, qui audeat aueatq; cognoſcere, ac primum capere nouæ cuiuſdam induſtriæ experimentum, qua intra annum duntaxat vnicum omnem ſuam prouinciam ab vniuerſa hac peſte ſic expurget, vt nullum rarius quam veneficij crimen futurum ſit; ſi eſt inquam, quiſquam Magiſtratuum, qui noſſe & experiri ſerio velit, & conſcientiæ quoque ſuæ ac Reip. vt experiatur putet intereſſe, habeo amicum virum religioſum, qui Induſtriam ſingularem, quam reperit docere velit, atque oppignorare vitam audeat, ſi fallat. Vidi eam & examinaui, nec quantum omni mea cogitatione conſequi poſſum, errorem deprehendo, quin id certiſſimo poſſit conſequi quod intendit: NB

dit:

dit: miratusq; ſum non parum, nondum hactenus pluribus in mentem veniſſe. De cætero & dictum ſatis eſt, & inuoluendum tamen ſilentio atq; occultandum, quod non niſi ad ſolas auidorum aures inuentor vult afferri. Docuit legifer noſter duodecim eſſe diei horas, & terram aliam bonam, aliam inutilem: & in hanc quidem ſi quid ſparſeris tantundem eſſe, ac ſi in fluctus magni maris abieceris. Vbi tempus erit igitur & apta terra, ſementi non parcetur: ſed & forſitan hoc ipſo commentario adhuc dicam, quod prudentes intelligent. Res eſt facilis & expedita, minima & magna, nota omnibus, omnibus ignota.

*Damaſcenus in vita Barlaã*

## DVBIVM VIII.

*Quam caute Principes & eorum Officiales in hoc crimine procedere debeant?*

RESPONDEO, Vti non male faciunt Principes cum in crimen hoc acriter procedunt, ita male, ac peſſime, niſi maxima cum cautela, prudentia, circumſpectione. Adeo vt non modo non liceat liberius, ac negligentius in hoc

cri-

Digitized by Google

crimine verſari ideo quia exceptum eſt, verum etiam multo quam in vllo alio capitalium genere maiore cum attentione & cura ad vigilandum ſit, ne quo modo proceſſus illegitimus, & indiſcretus formetur.

Itaque eſto concedam in hoc crimine excepto Sagarum licere in Quibuſdam aliter procedere quam communi modo in non exceptis; ſed id nego tamen, licere agere minus caute, & circumſpecte quam communi modo in non exceptis: requiri enim hic eximiam quandam in procedendo diligentiam, attentionem, curam, circumſpectionem, præquam in aliis vllis deſideretur. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Crimen hoc occultiſſimum eſt vt omnes fatentur: noctu plerumq; geritur, & inter tenebras ſimul ac laruas: magna igitur opus prudentia & meditatione, vt rite in lucem producas.

Ratio II. Videmus inchoatum ſemel proceſſum cõtra Sagas in annos aliquot produci, atque adeo augeri numerum



Digitized by Google

puniendorum, vt integri pagi funditus abſumantur, neq; tum aliud profectum eſſe, quam quod libri æque pleni ſint nominibus aliorum; adeo vt ſi porro pertinaciter inſiſtatur, nullus videatur futurus finis vſtionum, quoad tota regio exhauſta ſit: neq; vllus vnquam inuentus Princeps eſt, qui abrumpere non debuerit: ita quilibet ad hunc vſque diem finem ſemper fecit, non inuenit: Quæ res cum grauis ſit, & nimis vaſta, poteſtne vlla tanta eſſe diligentia, quam non adhiberi par ſit, vbi nec error aliquis intercedat, quo ſimul innocentes implicentur? Præſertim cum vel vnica ſi implicita fuerit, continuo innumeras alias implicari neceſſe ſit, vt inferius adhuc oſtendam.

Ratio III. Si contingat per imprudentem Proceſſum innocentes quoque eadem procella feriri, ingentia quędam mala in Rempubl. redundabunt. Supplicia nimirum tot capitum iniqua; & infamia, ac probrum non ſolum nobiliſſimarum familiarum, ſed & religionis Catholicæ, quę, vt recte notauit Tannerus,

tus, non parum apud hoſtes noſtros traducitur, ſi ij quoque tanquam communi hoc torrente rapiantur, qui cæteris videbantur religioſiores. Audire nuper debui à viris magnis nonnullibi eo eſſe maleuolentiæ deſcenſum, vt iam, ſi quis ibi more pientiſſimorũ Catholicorum ſertum ſuum precarium ſtudioſius voluere, ac deferre ſecum audeat, ſi aſpergere aqua benedicta ſe frequentius, ſi orare in templo ſtudioſius, ac tantillum genuinæ deuotionis præ ſe ferre, is continuo incurrat in ſuſpicionem magiæ; tanquam ita ſcilicet præ cęteris religioſiores velint eſſe, qui eo crimine tenentur; aut, vt alij dicunt, tanquam alioqui quieſcere eos Dæmon non ſinat: Vnde factum eſt, vt in quodam nobis vicino tractu ſub optimo & laudatiſſimo Principe quiſque ſibi quam diligentiſſime caueat ab omni ſpecie pietatis; ac Sacerdotes quidam antea indies celebrare ſoliti, nunc vel penitus id intermittant, vel ſi faciant, non niſi priuatim id audeant occluſo templo; ne incipiat vulgus de magia famam commouere.



Digitized by Google

Ita dum ſub ſpecie iuſtitiæ incaute procedimus, ad impietatem & atheiſmum viam facimus, quam vt potius occludamus, non immerito ſingularem quandam vigilantiam Magiſtratibus præſcribimus.

Ratio IV. Mulierum fere genus eſt contra quas proceſſus fiunt, quæ illę autem? deliræ ſæpe, inſanæ, leues, garrulæ, inconſtantes, ſubdolæ, mendaces, periuræ, & quidem ſi verè reæ ſunt, ad omne ſcelus à Magiſtro ſuo eruditæ, quibus examinandis, audiendis, iudicandis, ſingularis vtique attentio interueniat necesse eſt, niſi mille turbas & errores dare libeat. Dicebat mihi nuper IurisConſultus clariſſimus tot ſibi ex hoc vno capite quotidie difficultates obiici, vt ſi ſemel efferre pedem ex his tricis liceret, nunquam eſſet repoſiturus, nec vlli Principum ſuaſurus, vt negotium tam vndique intricatum facile ordiretur.

Ratio V. Audio quibuſdam in locis pro *Salario* eorum Iuriſconſultorum, ſeu Inquiſitorum, quos Principes huic negotio Sagarum præficere ſolent, conſtitu-

ſtitutam eſſe certam pecuniam pro numero reorum, vt verbi cauſa in ſingula capita daleros quatuor aut quinque. Quis hic non videt vel hac ſola de cauſa, quanta opus vigilantia ſit, ne ſpes lucri proceſſum vitiet, dum tanto facilius quiſque noxius putabitur, quanto loculis conſultius eſt maiorem eſſe quam minorem reorum numerum. Res ſane ardua, & periculoſa! neque enim ſancti omnes ſumus, aut tam inconcuſſæ mentis, quam non ardor aliquis habendi labefactet, & in tranſuerſum ſi non rapiat ſaltem laceſſat.

Ratio VI. Nihil vero æque intendere diligentiam Principum in rite curandis his proceſſibus debet, quam quod ſi in iis errari cœperit, difficillima emendatio futura ſit: itaq; in erroribus cæteris fere ſemper corrigendi aliqua ratio in mundo ſuppetit; at hic non item. Id ita probo: Nam in cæteris quidem ſemper fere inueniuntur, qui errantes admonere circumſpecte & vtiliter poſſint, ac velint, ſine macula ſuæ famæ; at in vna hac noſtra cauſa deinceps, vt video, in-

tercepta erit omnis hæc monendi via. Nam quiſquis ille futurus eſt, qui imposterum monebit, quantumuis caute, &diſcrete, ſeu voce ſiue ſtylo; continuo ſibi maculam adhereſcere ſentiet; quaſi iam vel ſibi ipſi, vel vxori, liberis, aliisve ſuis metuere incipiat, aut vindicare velit cineres cuiuſpiam è ſuis: audiet & has voces nimis inuidioſas: *hoc eſſe atrociſſima ſcelera libertate donare: hoc eſſe arguere tot, tantos Principes: hoc eſſe damnare iniuſtitiæ, & infamare tot publica iudicia*: ſed & incurret indignationem nonnullorum Magnatum, ad quorum aures detorta omnia ab adulatoribus deferentur. Quis autem tam exaggeratę virtutis ſit, aut quis tam proiectæ famæ, & honoris ſui, ac ſuorum, vt ſub hac macula, & periculo offendendi, nihilominus inclinare ſe volet, vt veritati ſubueniat? Ablata igitur monitio & correctio erit, cum inique procedi cęperit: ne igitur inique procedatur, tanto amplius eſt prouidendum.

Ratio VII. Emergunt indies in hac materia nouæ difficultates; tum & virorum

rum non ſolum doctorum, ſed & piorum & religioſorum diſtrahuntur ſententiæ. Putabatur ſatis feciſſe Delrius, & *Binsfeldius*, ſed nunc ſunt, qui particularia quædam penitus examinent: putant nimium tributum eſſe narratiunculis,& fallaciſſimis confeſſionibus in tortura effictis: deſiderant reſolutiones minus ſeueras: negant tantam iudicibus libertatem arbitrandi: dubitant de tripudiis illis, ſeu conuentibus Sagarum: aut ſaltem cum Tannero rariores eſſe exiſtimant, cum pleraſque phantaſmatis illudi credibilius ſit: detrahunt momentum denuntiationibus, ſimilibusve indiciis, quibus illi nimium tribuerunt non ſat ſolidis rationibus adiuti: denique noui indies libelli volitant qui rem perplexam reddant. Quis hic neget igitur maiore prorſus quam in aliis cauſis liquidioribus circumſpectione & ſollicitudine eſſe opus?

Dices, Imo opus non erit ita anxium velle hic ſollicitumq; eſſe, qui modo probatum aliquem auctorem ſequi ſtatuerit. Docent enim Theologi, cum v-

trinq; probabiles ſententię ſunt, vtramlibet teneri poſſe ſalua conſcientia, relicta etiam tutiore: probabilem autem, & tutam vocant, quæ vel graui autoritate, vel non modici momenti ratione nititur: autoritas autem grauis hoc loco cenſeri debet: quæ eſt ſaltem vnius viri docti & probi, vt docent Caſiſtæ, & vide apud Laymannum lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 6. &c.

Resp. I. Autoritas ſola non multum probabilem, & tutam ſententiam aliquam reddit, niſi autores illi poſt perſpecta rationum pondera, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, eam amplexi ſunt: quod etſi eos feciſſe plerumq; præſumi poteſt, præſertim ab indoctioribus, vti additum eſt à Laymanno loco citato: tamen ſi deinde alij ſe illi ſententiæ rurſus opponant, & rationes nouas afferre ſpondeant, quas iſti nondum diſſoluerunt, aio teneri ſaltem doctiores has examinare & diligenter perpendere, ſi forte certi aliquid euincant, vel ſaltem probabilitatem ſententiæ oppoſitę rurſus euacuent: & ita non poſſe Iudices

ſic

ſic leuiter procedere, *niſi etiam eos qui recentius ſcripſerunt, audiant, & vlterius in has cauſas examinandas incumbant.* Quod nota.

Resp. II. Etſi etiam communiter verum ſit, cum vtrimque probabiles ſunt ſententiæ, licere in conſcientia ſequi vtramlibet, etiam minus tutam: Expreſſe tamen (quod miror eos, qui ſcire aliquid volunt non attendere) excipiunt Theologi, & dicunt, tunc ſaltem omnino ſequi oportere ſentẽtiam magis tutam, atque hanc proinde diligenter veſtigandam eſſe, cum periculum eſt ne proximo fiat damnum, aut iniuria: Vnde in noſtra materia, cum de hoc periculo agatur, ac proinde ſententia tutior omnino in conſcientia ſequenda ſit, applicare ſane curam & ſollicitudinem oportebit, vt non quidlibet temere arripiant, ſed cautiſſime has cauſas perpendant. Ex quibus omnibus id tandem relinquitur, quod probare intendebam, ad proceſſus contra Sagas tam periculoſos ſingularem quandam, & extraordinariam curam

 ad-

Digitized by Google

adferri oportere, ne temeritate noſtra in laqueos nos inducamus. Quod quidem ex eo vel maxime confirmo, quod Inquiſitores nonnulli in ea ſunt perſuaſione, quaſi vix errare queant; quodq́; exiſtimant captiuas ſuas omnibus Sacerdotibus facile imponere & ſatanica hypocriſi illudere poſſe; ipſis vero, & cęteris Iudicibus laicis non poſſe. Cui ſecuritati tam periculoſę quanta ſatis magna cautela obuiari poterit? nemo enim ſatis vnquam cauet, qui non cauet, &c.

## DVBIVM IX.

### *An Principes ſat liberent conſcientiam, ſi parum ipſi ſolliciti, curam omnem in Officiales ſuos reiiciant?*

MOVEO hanc quęſtionem, quia audio monitum nuper Principem quendam, quanta opus eſſet cura in negotio Sagarum, quod ſtrenue vrgebat, leuiter reſpondiſſe: ſe ſollicitum non eſſe, viderent Officiales ſui, quos in eam rem conſtituiſſet.

RESPONDEO, Non excuſatur Princeps, qui omni cura à ſe reiecta Officiales pro libi-

libitu agere ſinit, tenetur ipſe ſuam quoque diligentiam & inſpectionem adiungere, ac multùm orare Deum, vt ſpiritu Principali ſe confirmet. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Non ſemper eſt Princeps certus de peritia & probitate ſuorum hominum: multi ſæpe imperiti, impetuoſi & maligni ſunt: qui vbi Principem intelligunt zeloſum eſſe aduerſus hoc crimen, neſcio quo ſtudio placendi parum ſubinde penſi habent, quam humaniter & Chriſtianè cum reis agant. Officium igitur erit Principis, vt & ipſe partem aliquam curarum in ſe ſuſcipiat, nec per omnia alienis humeris confidat.

Ratio *II.* In rebus Oeconomicis, aucupiis, venationibus &c. non omni cura ita ſe exuunt Principes, quin & ipſi ſua quoque ſollicitudine intereſſe velint: nec id quicquam officere maieſtati ſuæ exiſtimant, ſi à grauiſſimis aliis imperandi curis ad hæc humiliora cogitationem demittant: ex quo ſequitur, non ſat ſe apud Deum in Iudicio purga-

turos

turos eſſe, ſi qui in rebus minoribus gnaui ac ſolliciti fuere, in aliis maioris momenti, vbi de humano ſanguine agitur, negligentes & incurioſi fuerint.

Ratio III. Solet plerumque Deus à quo omnis legitima poteſtas eſt, Principes ipſos ſingulari quadam præ cæteris prudentia ac gratia exornare, vt neſcio quo pacto vbi ipſi quoque in perſona propria curam aliquam ſuam ad negotium quoduis apponunt, omnia felicius ſinceriusq; eueniant: hanc igitur prudentiam ſuam ſingularem, ſi tam arduis negotiis ſine magna cauſa ſubtrahunt, videndum ſane, ne & indignos ſeſe vlterioribus Dei donis conſtituant, & quod gerunt adminiſtrandæ iuſtitiæ munus parum debite exornent.

Ratio IV. Sed & ſolent Principes benignioris cuiuſdam eſſe naturæ, & ad omnem Clementiæ ac Chriſtianæ humanitatis affectum admodum propenſæ: qui proinde ſi interdum ipſi de captiuorum miſeriis propius cognoſcerent; ſi gemitus & ſuſpiria audirent miſerorum; nec tam alienis oculis auri-

busve

bus ſve quam ſuis de Officialium ſuorum proceſſibus certiores reddi vellent; non eſt dubium, quin multa quandoque aliter gererentur, nec tam facile tot ſententiæ capitales tam vili pretio venirent. Immanes & truculenti eſſe alij quiuis ex Officialibus poſſunt, Principes non poſſunt: horum proprium eſt humanitate & clementia diffluere ſemper, ſæuire nunquam: qui proinde ſi eam, quæ nunc paſſim viget immanitas torturarum ſuiſmet oculis vſurpaſſent vnquam, aut fideli narratione exhibitam animo excepiſſent, pauciores ſane Sagas Germania numeraret, quarum nūc acerbitas quæſtionum non eſt vnquam numerum factura. *Quod etſi peccatis quidem noſtris præcipue debemus*: ipſi tamen ſimul Principes peccant, cum ea, qua ſingulari ſunt humanitate ad nos confouendos & miſerias noſtras paulo propius ac certius cognoſcendas à natura inſtructi, penitus nos priuant. Dicere ſoleo, inter omnes captiuorum pœnas & miſerias, hanc vnam eſſe ſummam, quod omni Principum aſpectu æter- NB

Digitized by Google

æternum carituri ſunt: quippe qui in eum ſunt angulum coniecti, quo nullum illi vnquam radium infundent, *niſi* per oculos alienos, id eſt, per infecta vitra, quæ talem efficiunt lucem & obiectum qualem ipſa colorem habent. Vnicus inuentus eſt Princeps terræ, & Rex Regũ, qui non deſpexit vinctos in mendicitate & ferro, ſed illuxit his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedebamus: vnde effuſis in miſericordiam viſceribus compaſſus eſt infirmitatibus noſtris, vt ſcilicet Aduocatum haberemus apud Patrem tentatum per omnia.

Ratio V. Cum intelligunt Officiales Principem ſuum oculos à ſe auertiſſe, nec curare quid fiat, neceſſarium eſt vt licentiores & minus attenti euadant. Eſt hæc hominum natura, vt agatur negligentius, quod à Superiorum aſpectu remotum eſt. Hoc ignorare Princeps non poteſt: peccat igitur ſi omnem ſollicitudinem & inſpectionem à ſe excludit: ſi Officialium acta & proceſſus in re tanta non ſubinde examinat ipſe: ſi non monet: ſi non vrget; ac ſerio pro-

uideri

Digitized by Google

uideri mandat, ne quo modo cuiquam fiat iniuria. Tenetur omnino acuere ſuorum diligentiam, atque omnem remouere occaſionem, qua in innocentes pernicies aliqua redundare poſſit. Inquirat igitur particulatim:

1. *An carceres & quoties viſitentur?*
2. *An ij ſqualidiores ſint, quam cuſtodias eſſe oporteat?*
3. *An iaceant nonnulli rei annos integros in frigore & æſtu nec audiantur, ſeu vt finem vinculis impetrent ſeu vitæ?*
4. *Quæ ratio & modus ſit tormentorum?*
5. *Quæ ratio quærendi?*
6. *Quæ moderatio & peritia Sacerdotum qui adhibentur?*
7. *An defenſio cuiuis integra ſit?*
8. *An querelæ aliquæ vulgi ſint de Commiſſariis, id eſt Inquiſitoribus?*
9. *An auari hi ſint, an inhumani?*
10. *An inter omnes vel vnicus ſit, qui antequam conuictus reus ſit, ab eius potius ſtet parte quam ab aduerſa?*
11. *An qui vllo vnquam ſigno oſtenderit, malle ſe innocentem reperiri reum quam nocentem?*

12. I-

Digitized by Google

12. *Itemq́; qui cum reus innocens inuentus fuerit, non indignatus ſit, ſed gauiſus?*

13. *Quærat etiam an reorum aliquis in carcere mortuus ſit, & quid ei factum?*

14. *Ac ſi ſub patibulo defoſſus ſit, quo argumento oſtenſum mala morte reliquiſſe vitam? & ſimilia.*

15. *Inquirat etiam iudicia variorum, quid ſentiant in vtramque partem de variis quæſtionibus, quæ circa proceſſus Sagarum moueri ſolent?*

16. *Non vni parti ſic adhæreſcat, quin alterius quoque argumenta ponderet.*

17. *Facultas ſit cuique, quid putet, voce libera edicere.*

18. *Inſpiciat ſubinde Protocolla vt vocant, aut legi ſibi mandet.*

19. *Moueat dubia aut moueri curet.*

20. *Non credat continuo omnia quæ afferuntur.*

21. *Curet examinari per eos qui in contraria ſunt ſententia potius, quam qui in eadem, vt ſic veritas ſe clarius oſtendat.*

22. *Nihil tam prima fronte videatur abſurdum, quod non ſub Examen ducat.*

Quid tam hodie paradoxum, quam pu-

Digitized by Google

putare exiguum eſſe numerum Sagarum? & id tamen ſi cui Principi ea eſſet patientia audiendi & diſcendi cupiditas, ad oculum fortaſſe demonſtrari poſſet: non omne aurum eſt quod putatur, nec omne falſum quod præter opinionem; multa latent arcana, quæ ſupra vulgi aures erigenda; & non niſi ſummis capitibus inſuſurranda ſunt; nihil tam veritati inimicum eſt quam opinio præconcepta. Sed hæc ſinamus; neque enim in propatulo habenda ſunt quæ vulgus non capit. NB

RATIO VI. Illi ipſi qui zeloſi admodum, in cauſis Sagarum eſſe audiunt, & hoc nomine imperitis pro oraculo ſunt, idipſum videntur tanquam certum ſupponere, bonos Principes neque nunquam, neq; parum in his cauſis ſeſemet occupare. Sic enim nuper ex eorum numero ingenioſior quidam, ſi Diis placet, ſolide putabat arguere contra Tannerum, aliumve non neminem religioſum, cum ſic diceret: tam multi, inquit, Germaniæ Principes probi & excellentes in Sagas ſtrenue arma & ignes mo-



Digitized by Google

uent: & quis igitur contra eos cum Tannero aliquo ſimilive Theologo exiſtimare poſſit, permiſſurum eſſe vnquam Deum, vt ad innocentes quoque ſupplicium excurrat? Quod vtique argumentum non ſtringeret, ſi liceret excipere, Principes ipſos non admodum ſibi cordi ſuo ſumere has cauſas; nec ſingularem ponere operam, vt Officialium ſuorum exceſſus de propinquo cognoſcãt. Dicerem enim Tannerum & qui eum ſequuntur bonę & Chriſtianę conſcientiæ viros ſuiſmet multa oculis atque auribus in carceribus, iudiciis, Protocollis noſcitaſſe atque accurata meditatione excuſſiſſe, quę nec Principum dictorum oculos, neque aures niſi à longe tranſuolaſſent; tam varie inſuper mutata; quam ij varij ſunt; qui hæc Principibus velut per nebulam, & prout iis lubitum eſt, oſtendunt. Vnde vt ſtringat argumentum, ſupponunt ſane, non minorem eſſe Principum, quam eorum Sacerdotum in Sagarum cauſis experientiam, qui eam vtique non omnem alienis ſenſibus acceperunt. Alioqui enim

quam

quam multa ſæpe alia Principes per ſe boni iubent, quæ tamen quod per alios omnia geri ſinunt, peſſime adminiſtrari Deus permittit? & cur non igitur in his quoque cauſis permittat? friuola igitur hæc argumentatio erat, aut præſuppo-nit quod volebam.

Ratio VII. Ipſimet Officiales præſupponunt Principes ſuos, ſeſemet ac propriam conſcientiam, quam maxime in his cauſis onerare. Id inde patet, quod cum iis à viris ſpiritualibus ſubinde inculcatur, vt caute agant, reiicere omnia ſolent in Principes ſuos, quod ab illis vrgeantur. Vnde nuper quidam: ſcio, inquit, intercurrere in proceſſibus *noſtris* etiam innocentes, ſed non facio mihi *ſcrupulum*: habemus conſcientioſiſſimum Principem, qui continuo nos vrget; Is ſciet vtique, & ad conſcientiam expenderit, quid mandet: ipſe viderit, meum eſt parêre. Similia & alius mihi pridem monenti regerebat, vterq; ab illomet Principe conſtituti, quem initio huius dubij innuebam, à ſe omnia in ſuos amouiſſe.

Rem ſane periucundam! Princeps ſe cura & attentione diligentiſſima liberat, ac reiicit in conſcientiam Officialium: Officiales quoque ſe liberant & reiiciunt in conſcientiam Principis. A in B, & B in A. Princeps ait: viderint Officiales: Officiales aiunt: viderit Princeps: quis hic circulus eſt? vtri autem Deo reſpondebunt? Nam cum & hi & ille viderit; nemo viderit. Sane dicere vix poſſim, quis meo cordi ſit dolor, cum hæc indicare non licet, ac conſulere optimo illi ac pientiſſimo Principi, pro quo non dubitem vitam effundere.

Ratio VIII. Ita rerum Status eſt hoc tempore, vt niſi interdum per ſe ipſos, aut conſtitutos à ſe immediate occultos Syndicos, non poſſint Principes veritatem circa Officialium ſuorum Proceſſus & incuriam cognoſcere: vel enim ab Officialibus ipſis, ac quorum illi ſeu Laicorum ſeu Sacerdotum vtuntur opera, vel ab aliis.

Non ab Officialibus ipſis, ac qui illis ab auxiliis ſunt; nam hi vtique ſuammet rem acturi ſunt, nec commiſſuri, vt ſe i-



Digitized by Google

pſos prodant, ac tam ſuauiter obuianti ſibi lucro facile obſiſtant; præſertim cum non Laicis ſolum, ſed & Confeſſariis quoque, iam nonnullibi in ſingula reorum capita ſtatutum pretium ſit, communesq; fiant cum Inquiſitoribus epulæ, & compotationes è ſanguine pauperum, quem penitiſſime exugunt, pulcherrimo colluſionis inuitamento.

Non ab aliis autem, cum vel nolint ſe in huiuſmodi negotiis miſcere, vel ſi charitate commoti velint, audiendi tamen non ſint: aut ſi etiam verbulo audiantur, iam hoc ipſo ſe quoque reddant ſuſpectos, qui Iuſtitiæ fluxum intercipere, ac ſceleribus patrocinari velint; haud modico argumento eiuſdem delicti, vt ſupra innui. Quod ne Lector putet augere me & inuidioſe repetere, audiat magni cuiuſdam Principis Inquiſitorem, imo duos, qui nuper cum eruditum & prudentem Commentarium laudatiſſimi Societatis Ieſu Theologi Tanneri perlegiſſent, auſi dicere ſunt, ſe eum hominem ſi nacti eſſent, nō dubitaturos in equuleum coniicere.



Digitized by Google

Videlicet quod ille prudentiſſime & ſolidiſſime admonet, negotia Sagarum caute eſſe tractãda, ac Iudices, ſi eorum arbitriis nimium tribuatur, facile exceraturos, ac ſimilia; ineptiſſimis hominibus ſufficiens indicium dedit, vt in torturam rapi poſſit tantus Theologus. Nõ exiſtimo ego ſereniſſimum ſanguinem Principum Germanorum non ebulliturum eſſe, ſi huiuſmodi ſuorum Officialium voces vel dimidia aure cõbibiſſent. Iudicet nunc Princeps, ſi quis legit, aut Conſiliarij Principum, qua illi cum moderatione & peritia erga viles animas, pauperculas, & mulierculas iuſtitiam armauerint; qui ſic auſi in tantũ virum, ne ſimul dicam ordinem impingere? Et huiuſmodi tamen Inquiſitores ſeu Commiſſarios ſæculares & Laicos Germania patitur, ac eorum conſcientiæ rem omnem Principes committũt: hi doctiſſimi ſunt Iurium Conſulti, hi quam multa & magna in expeditione ſua geſſerint, quam late ſe Magiæ lues effuderit, quam innumerabilis, ſi Diis placet, numerus ſit Sagarũ ad Principes

ſuos

ſuos ambitioſe referunt,& magnis ventis inflant. Nec Tannerum ſolum iam male apud tales audire ſcimus, ſed & alios quoq; plures noui religioſos & pios viros,qui quod ſubinde ſimiles Inquiſitores modeſte non minus quam ſolide admonuiſſent, ne quid in ſuo munere per negligentiam imperitiamq́; præcipitarent,oſtenderentq́;nonnullos eorũ errores, qui hinc inde intercurriſſent, non modo nil profecerunt, ſed in eandem Magiæ calumniam maleuolorum linguis protracti ſunt: *Vt profecto peſſime ſibi conſulturus ſit, qui in hanc materiam ſtylum ſiue linguam vel tantillum immittat. Doleo vicem Principum, qui ſic quietam poſſident conſcientiam, cum vel maxime periclitatur, ablata etiam vel ipſiſmet eorum Confeſſariis monendi ſeu libertate ſeu cura.* Ter nuper calamum arripui, ter rurſum me retraxi, ne quemquam per epiſtolam erudirem: nam ad me quid ſpectat? Vah tamen quod tot alij ſilent ad quos ſpectat, & qui ſoli fructuoſe audirentur ſi loqui poſſent. In hoc certe



Digitized by Google

monitorio ſcripto nil aliud ago, ſi ſummam colligas, quam quod moneam de cautela; quod reprehendam errores quorundam; quod oſtendam probationes quaſdam ſeu indicia parui eſſe momenti, quę quidam paſſim vſurpant: finis meus eſt, vt innocentibus multis ſubueniatur: modus eſt, vt acrior non ſim, quam res poſtulet, ac religioſum virum deceat: non perſtringo niſi malos & in genere: bonos non attingo, nec de iis loquor: nihil igitur hic mali eſt, quod bonis viris & æquitatis amantibus diſplicere poſſit; quin potius qui æquitatem amant, ac ratione & prudentia ſe flectunt, gaudebunt indies aperiri vlteriorem viam qua graſſari liceat ad veritatis arcem: Nihilominus non dubito, quin ſi in vulgi manus incideret, futuri eſſent plurimi rerum capitalium Præfecti, qui indignarentur & exploderent. Quo ipſo tamen ſat clare nominarent ſeſe, qui eſſent, & quam æquitatis amantes. Sed quicquid ſit, id denique relinquitur non fore qui monere Principes audeant, niſi ipſi ſibi res has cordi ſumant,

mant, atque igitur vt ſumant, conſcientiæ eorum intereſſe.

Ratio IX. Niſi Principes in his cauſis ipſi quoq; oculum ſubinde inferant propius, & notitiam aliquam experimentalem ſumant; grauiter peccabūt, ſi cum deinde Officiales ad eos in nonnullis difficultatibus recurrent, ipſi audeant quid faciendum ſit reſoluere. Id autem quod peccabunt probo; quia neceſſario reſoluent male: & id probo; quia non intelligent Propoſitiones ſeu Informationes: & id probo; quia noui inuenti ſunt à Iudicibus loquendi modi, quos, quibus hactenus linguarum theſauris ſeu Calepinis vtimur, non habent, ſed ab vnica ea, quam dicebam notitia experimentali debent diſci. Quod vt fingere non puter, tentent ſe Principes, ſitne ex omnibus vel vnus poſt tot excitata buſta, qui in hodiernum diem nouerit quid ſignificent hæ phraſes Inquiſitorum, cum ſic aiunt, verbi cauſa:

1. *Audita eſt Gaiæ defenſio, non ſatisfecit.*
2. *Habemus grauia contra eam indicia.*

3. *Procedimus ſecundum allegata & probata.*

4. *Titia ſe ream faſſa eſt ſine tortura.*

5. *Liberrime ratificauit confeſſionem in tortura factam ad bancum iuris.*

6. *Multæ pœnitentes ſuper Gaiæ mortuæ ſunt.*

7. *Faſſa eſt Titia omnia puncta & circumſtantias eaſdem, quas denuntiantes complices de ea depoſuerant.*

8. *Sempronia maleficio taciturnitatis vſa eſt contra tormenta.*

9. *Nihil ſenſit in tormentis, riſit, dormiuit.*

10. *In faciem conuicta eſt eſſe rea: nihilominus impœnitens permanſit.*

11. *Reperta in carcere mortua eſt, ceruice penitus confracta, Dæmon eam iugulauit. Et ſimilia.*

Aio enim audacter non magis hæc ſignificare quod ſonant, quam aut ſignificet equus bouem, aut aſinum camelus, aut aqua ignem; prout Lector ex infra hinc inde dicendis intelliget, cum eas loquendi formulas obiter & ſparſim ſuis locis explicabimus.

Vn-

Vnde ſi ad Principem referat Inquiſitor, quid verbi cauſa mandet fieri de Titio Sacerdote, an non exuri viuum, qui non modo magnis indiciis obrutus, ſed etiam in faciem conuictus ſit, ac nihilominus conuerti nolit nec pęnitere? quid inquam hic reſcribet ſine errore Princeps, ſi adhuc ignoret, quid in hac materia ſignificēt magna indicia? quid ſit in faciem conuictum eſſe; quid conuerti nolle? quid impœnitentem mori velle? Quin imo eſto conſulat Princeps Doctores Theologos, ac non ſuæ, ſed eorum ſententiæ rem committat: quid tum poſtea? æque erraturus eſt, ac tanto pernicioſius. Nam vbi illi aut in quibus tandem libris has phraſes explicatas reperiſſent? an vero ſomniare illi poſſent immutatam eſſe vocum ſignificationem, literario Concilio non conuocato? Neceſſe eſt igitur Principi, vt hos & ſimiles loquendi modos diſcat: non diſcet autem, niſi notitia experimentali ſe inſtruat: non inſtruet autem, niſi non omnem curam à ſe in Officiales reiiciat.

DV-

## DVBIVM X.

*An credibile ſit Deum permiſſurum vt aliquando innocentes ſimul inuoluantur?*

SEntentia eſt quorumdam; Deum non permiſſurum, vt circa crimen tam atrox innocentes in eandem maſſam cum nocentibus pertrahantur. Atque ait Binsfeldius hoc eſſe priuilegium amicorum & filiorum Dei, quod & probat: pag. 354.

I. Quia ſic diuinæ legis promiſſiones affirment, vt in Pſalmis: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Et iterum: *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinques quærentes te Domine.* Et iterum: *Clamauerunt ad me iuſti, & ego exaudiam eos.* Item: *Qui ſperat in Domino, non confundetur.* Et 2. Petr. 2. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere.* Et Paulus: *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed dabit cum tentatione prouentum.*

II. Quia exempla huius rei non deſint, quem in finem memorat hæc tria,

Su-

Digitized by Google

Suſannæ, & S. Athanaſij, & Syluani Epiſcopi.

III. Quia accedat quoque maximum teſtimonium S. Cypriani, quod & noſtri malefici & Sagæ in ſuis confeſſionibus confirment. Hic enim Sanctus, inquit, cum adhuc magus eſſet, Iuſtinæ Chriſtianæ virginis amore incenſus, incantationibus & veneficiis Antiochiæ illam ad ſuæ libidinis aſſenſum allicere conabatur, & Dæmonem conſultabat, quanam id re conſequi poſſet: cui Dæmon nullam ſibi artem proceſſuram, ait, aduerſus eos qui vere Chriſtum colerent: ſic ipſe, quem ſequitur ob dictas rationes Delrius, & multi hoc tempore zeloſi viri: quibus non obſtantibus,

Respondeo, Opinio hæc quod Deus permiſſurus non ſit, vt innocentes quoque cum nocentibus pereant; admittenda penitus non eſt. Nam imprimis aperit Iudicibus feneſtram ad ſocordiam, ne vt oportet ipſi exquiſite ſolliciti ſint, & diligentes. Deinde laxat conſcientias Principum, ne valde curent, quales Iudices, quam bonos, & peritos re-

rebus agendis pręficiant. Denique veritate quoque deſtituitur. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Nam cur obſecro non permittat Deus nunc hoc tempore quod olim? cum non multi ſolum, ſed pene innumerabiles Chriſti martyres infandis ſuppliciis ſubiecti ſunt, atque ipſiuſmet huius de quo agimus magiæ criminis rei habiti: pręſertim cum *Supernat aſſent*, vt in vita SS. Coſmæ & Damiani aliorumve &c. Vbi tum axioma illud delitefcebat, Deum non permiſſurum, vt in innocentes tam atrox tempeſtas deſæuiat? Vbi tunc quas Binsfeldius paulo ante citabat diuinæ legis promiſſiones? vbi exempla quæ afferebat, & maximũ illud, vt vocabat, teſtimonium Cypriani? An non omnes innocentes erant? vere colebant Deum? eius nomen inuocabant? in eo omnem ſuam ſpem & fiduciam repoſitam habebant?

NB

Ratio II. Permittit Deus multo grauiora, vt V.G. quod ſacræ hoſtiæ conculcentur, ac fœdis aliis modis tractentur, quod filius eius vnigenitus cum latroni-

tronibus crucifixus ſit,&ſimilia: cur igitur non permittat multo leuiora? Concludam verbis Tanneri, qui de hoc ipſo argumento ſic loquitur: *Scilicet*, inquit, *Deus tot alia eaq; immaniſſima ſcelera idq; iuſtiſſimis de cauſis permittat, & in ſolo hoc proceſſu aduerſus Sagas ſignato quaſi codicillo ſponſionem fecerit, non ſe permiſſurum vt innocentibus fiat iniuria?*

Ridiculum igitur eſt hoc, & mirum à viris cordatis dici potuiſſe.

Ad argumenta Binsfeldij ante allata iam reſponſum eſt. Nam

I. Probant nimium, & ſic nihil: quod nimium, patet: quia conficiunt, nec Deum permiſſurum fuiſſe, vt perirent tot martyres: cuius cum omnes contrarium ſciamus, quid erat his argumentis opus?

II. Si ſic licet argumentari: non permiſit Deus vt tres illi innocentes perirent, Suſanna, Athanaſius, Syluanus; ergo Deus nõ permittet, vt pereant innocentes; licebit quoq; mihi ſic argumentari: permiſit Deus vt perirẽt quoq; tres innocentes, imo plures certe martyres,

magiæ ſimul poſtulati. Ergo Deus quoque permittet, vt pereant innocentes.

III. Quoad teſtimonium S. Cypriani; ſi verum dixit Dæmon, artes ſuas, id eſt, incantationes & veneficia non proceſſura aduerſus eos, qui vere Chriſtum colunt, quid tantopere Binsfeldius & alij contra Sagas vociferantur, quod veneficiis ſuis Rempubl. tantopere infeſtent? colamus omnes vere Chriſtum, & artes earum contra nos non procedent. Deinde vero Binsfeldij argumenta allata, maxime loquuntur de permiſſione illa qua permitteret Deus perire innocentes ob repræſentationem eorum in conuentibus Sagarum à Dæmone faciendam. Vnde etſi concederemus (de quo plenius infra dubio 47.) Deum non permiſſurum vt per huiuſmodi artes Dæmonis, innocentes pereant; non hinc tamen ſequeretur, non permiſſurum vt pereant per artes hominum, id eſt, per incautos proceſſus Iudicum; quod nobis ſufficit.

DV-

## DVBIVM XI.

*An credibile ſit permiſſum id eſſe de facto, ut innocentes quoque inuolutæ ſint?*

BInsfeldius & Delrius id videntur non putare. Sed

RESPONDEO, Nobis dubium non eſt, quin multæ ſæpe innocentes, de facto inuolutæ in eandem cum cæteris pœnæ communionem ſint. Rationes iſtę ſunt:

RATIO I. Teſtatur Tannerus multos doctos & prudentes viros Theologiæ etiam profeſſores; è quibus aliqui non paruo tempore in foro conſcientiæ has cauſas Sagarum tractaſſent; profeſſos eſſe; timere ſe, ne quo forſan inordinato procedendi modo multis etiam innocentibus fiat iniuria: quod vtique magnum eſt pro opinione noſtra præiudicium.

RATIO II. Scio item & ego viros quoque doctos & religioſos, qui cum eaſdem cauſas aliquamdiu tractauiſſent, non ſolum id timere ſe, ſed vero minime dubitare affirmabant. Itaque noui Principem, qui cum in Sagas aliquanto

tempore inquiſiuiſſet, tum autē neſcio qua occaſione rogauiſſet ex eo Sacerdote qui conſcientias curabat, & cremandos ad ſupplicium educebat, putaretne ſerio quaſdam vere innocentes cum reliquis abreptas eſſe, atq; is contractis humeris ſincere reſpondiſſet, nihil quidem ſe de hac re dubitare, imo per animæ ſuæ ſalutem aliud affirmare non poſſe; ita dictum hoc cordi curæq; ſumpſiſſe, vt continuo ſubſtiterit, ac progredi ſuos in negotio vetuerit.

Ratio III. Si & mihi aliquid Lector concedit, fateor me ipſum nonnullas ſuperioribus annis in diuerſis locis ad mortem comitatum fuiſſe, de quarum innocentia tam minime etiamnum vacillo, quam nihil fuit vſpiam ſtudij & induſtriæ pene nimię quod non adhibuerim ad veritatem detegendam.

Stimulauit me curioſitas (quid enim diſſimulem?) & pene vltra metam traduxit, vt in re incerta certum aliquid cognoſcerem, neque aliud tamen niſi vbiq; innocentiam deprehendi: quam cum apud me non paucis nec futilibus

ar-

argumentis conuictam tenerem, neq; tamen (ob certas quaſdam cauſas) iudicio intercedere liceret, facile æſtimare eſt, quo cum animi mei ſenſu tam miſerandis mortuis interfuerim. Homo ſum, & falli poſſum, non id vnquam inficias iturus ſum; Quando tamen, poſtquam diu multumq; cum captiuis illis tum intra tum extra confeſſionis ſacramentum egi: poſtquam animos omni arte multifariam ſusq; deq; verſaui; in omnem me pene partem obuerti; diuina & humana ope ac conſilio vſus ſum; indicia atque acta peruidi; cum Iudicibus ipſis quantum licuit ſaluo ſigillo confeſſionis diſſerui; accurate omnia perpendi, argumenta ſingula apud animum meum diſputaui; nihilominus aliud iudicare non potui, quam crimine vacare quæ reæ putabantur; non exiſtimo leuiter facere, ſi me falſum eſſe difficulter credam.

Ratio IV. Imprudentes ſæpe & maligni ſunt ij, qui proceſſibus contra Sagas præficiuntur; tortura frequenter



Digitized by Google

enormis,& crudelis, indicia multa futilia,& perículoſa; agendi modus non raro contra iura ac rationem, prout infra ſuis locis inſpergam & admonebo: mirum ſane eſſet, ſi nihilo tamen minus eum ſemper curſum rectiſſimum Iuſtitia teneret, vt non aliquando in ſcopulum impingeret.

Ratio V. Narrat Tannerus ſuperioribus annis in Germania duos latrunculatores, qui cauſas Sagarum tractauerant, ob proceſſus illegitimos cum periculo innocentum adhibitos, ſententia Iuridicæ Facultatis Ingolſtadienſis capite damnatos, & extremo deinde ſupplicio fuiſſe affectos. Ipſe ego ſcio Principem, qui nonnullos eadem de cauſa capite obtruncari iuſſit. Quis autem dubitet, quin ſub his iudicibus non paucæ innocentes in fauillam euolarint?

Ratio VI. Imo vero, quot innocentes ſub aliis adhuc iudicibus periiſſe arbitrabimur, qui cum antea in hoc crimen ſeueriſſimis modis animaduertiſſent, ipſi deinde malefici quoque fuiſſe confeſſi ſunt & exuſti? nuper ita duo

tresve

treſve, quorum nomina omitto, ne Manes eorum inquietem, damnati ſunt: Germania hæc exempla vidit, quid cõtra dici poteſt? & quis nos liberet iuſto metu, ne vel hodie, vel paulo poſt huiuſmodi ſint plures? Sane dubium non eſt, quin id Dæmon vehementer optet & ſatagat, cum vbi talem vel vnicum Inquiſitorem nactus ſit, apertum habeat oſtium inſigniter dilatandi ſuum regnum, & veris Sagis ſecuritatem, innocentibus excidium parandi. Sed & mirum eſſet, ſi poſtquam tam infinitus eſt numerus maleficorum, vt iſti volũt, non id omni ſua ac Dæmonis induſtria poſſent efficere, vt eorum plures ad Iudicum & Inquiſitorum munus arreperent; quod enim aliquoties, vt iam dixi, Deus permiſit, cur ſæpius non permittat?

Attendant Principes & examinent Officialium ſuorum vitam: nolim ego bonorum quempiam in inuidiam vocare; id tamen timere mihi licet, quod quorumdam mores non refutant. Nam ſi verum eſt quod narratur, ſunt quidã

qui in templis vix conſpiciantur, aut ſi raro quidem, tum non niſi nugantes, ridentes, fabulantes, ac ſi quas viderint è ſexu fœmineo intentius precari, mox ſciſcitantes, an nil de his auditum ſuſpicionis ſit? homines liberi, ſuperbi, auari, imperiti, crudeles: quæ Epitheta cum nuper de non nemine recenſeri audirem, ſubticui quidem capite concuſſo, nec conſentire volui, ne viderer detractionibus aſtipulari, aut delectari: interim deinde animaduerti fuiſſe vera, atque adeo addi potuiſſe plura.

RATIO VII. Narrauit mihi nuper vir fide dignus de carnifice quodam item vltimo ſupplicio plexo, cuius inter alia grauiſſima ſcelera & hoc vnum erat, quod cum magiæ non imperitus eſſet, id quadam ſua arte efficere ſoleret, vt quoſcunque tandem ſub manu recepiſſet, nemo omnium non fateri cogeretur quicquid rogauiſſet: itaque innocentes plurimos ad ea edicenda impuliſſe, quæ fortaſſe ne cogitatione quidem vnquam attigiſſent.

Quid clarius in rem noſtram afferri poſ-

poſſit? vt ſane oraculum ſit, quod quidam cum Delrio putant, ſi qui innocentes indicati ac capti fuerint, mox innocentiam eorum Deo ſic diſponente palam fieri: mox ſcilicet cum in cineres iam inuoluti ſunt.

Ratio VIII. Ex iis quæ hactenus experientia aliqua & iugi curioſitate didiciſſe potui, ita clarum mihi eſt, neceſſario inuolui quamplurimos innocentes, vt ſi quis eſt Principum Germanorum qui id credere non velit, niſi manibus ipſe contrectet; is mihi audeat à maleuolorum linguis ſecuritatem promittere, ego illi inuento pulcherrimo adhuc occulto, rem omnem in vtramq; manum NB. tradam: Neq; enim à quo tempore primum *literas* guſtare cœpi, minus eſſe curioſus ſtudui in docendo quam diſcendo. Itaque cum palpauerit obſtupeſcet, & inſignem ſentiet conſcientiæ ſuæ morſum, quantumuis nunc adhuc quieta & tranquilla ſit: non mihi licet omnia in publicum effari.

Ratio IX. Imo ex ipſo Binsfeldio & Delrio conuincitur, de facto permiſ-



Digitized by Google

ſum eſſe vt plurimæ innocentes in hoc crimine perierint. Id ſic oſtendo: Docent illi & recte, probationem Sagarum per aquam, illicitam plane eſſe, & ſi quis Iudex ex ea procedat, illegitime procedere, ac proinde proceſſum eius eſſe nullum. Vnde ſequitur ſane, ſi ita contra aliquas proceſſum ſit, eas innocentes periiſſe, tamdiu enim innocens quis haberi debet, quamdiu nondum eſt legitime probatus nocens. Atqui vero concedunt iidem, & olim & nunc plurimos Iudices ex ea probatione proceſſiſſe & procedere, concedent igitur conſequenter plurimas quoque & olim & nunc innocentes periiſſe, & perire; vnde igitur vt pereant & perirent, eſt de facto permiſſum.

Ratio X. Præterea exiſtimant iidem, probationem per ſtigmata item reiiciendam eſſe, tum etiam ex ſolis pauculis, vna & altera denuntiationibus non eſſe procedendum ad condemnationem, etſi ad torturam: ac rationem vtriuſque aſſignant, ne innocentes pereant: obſecro autem an non plurimi



Digitized by Google

rimi ex his ad condemnandum proceſſerunt ? & credibile igitur non exiſtimant complures innocentes de facto vt perirent permiſſum eſſe ? Sic igitur ſeipſos conuincunt boni viri.

## Dvbivm XII.

*An igitur ceſſandum ſit ab inquiſitione contra Sagas, ſi conſtet multas innocentes de facto inuolui?*

IAm ante allatum eſt exemplum Principis, qui ceſſandum iudicabat: Et id quidem recte. Quod tamen vt tanto patientius zeloſus Lector accipiat, in eius gratiam diſtinctione quadam vtemur, duplici enim modo, ſeu duplicis generis proceſſus poſſunt inſtitui.

I. Ita caute & circumſpecte iuxta præſcriptum legum & prudentis rationis, vt ſi ij ſeruentur, non ſit futurum periculum, ne innocentes quoque attingantur.

II. Ita improuide, & oſcitanter, aut maligne, vt ſi ij ſeruentur, futurum ſit, vt ipſis etiam innocentibus morale periculum creetur. De vtroque genere

proceſſuum dicam duplici reſponſione. Itaque

Respondeo I. Non opus eſt ceſſare ſi proceſſus prioris generis inſtituantur minime periculoſi, nec aliunde id periculum præuideatur,

Ratio eſt, quia nihil obſtat, quin ſic procedatur ad Rempubl. ingenti peſte liberandam, ſi conſtet eſſe infectam.

Respondeo II. Omnino ceſſandum ac ſuperſedendum eſt proceſſibus poſterioris generis, non ſolum in hoc Sagarum crimine, ſed etiam in cæteris omnibus, ſeu Exceptis, ſeu non Exceptis. Rationes iſtæ ſunt.

Ratio I. Talis proceſſus ſemper eſt iniquus & illegitimus. Probatur: Eſt enim contra iuſtitiã, vt ei periculũ grauis mali inducas, cui id minime debetur.

Ratio II. Vtens tali proceſſu peccat mortaliter. Probatur: Peccat enim mortaliter, qui ſciens ſe exponit periculo peccandi mortaliter; ſed vtens tali proceſſu exponit ſe periculo peccandi mortaliter, nimirum occidendi innocentem ſine iuſta cauſa. Ergo &c.

Vn-

Vnde neceſſario ſequitur quod reſpondebamus, à talibus proceſſibus tanquam iniuſtis & illegitimis in quocunque tandem crimine, quantumuis atroci, & excepto abſtinendum eſſe.

Dices I. Rempublicam à tam atroci Sagarum crimine expurgari tantum ac tam optabile bonum eſt, vt hæc ſufficiens & iuſta cauſa videatur cur curandum non ſit, ſi paucæ innocentes aliquot pereant.

Resp. Si perirent nulla tua culpa & indirecte; fortaſſe curandum de vna aut altera non eſſet, nunc tu malum facis qui directe periculum eis creas. Non ſunt autem facienda mala vt eueniant bona. Deinde ſi vel paucæ innocentes implicentur, implicabuntur mox innumeræ, vt infra dicam, & ſic non purgabitur. Reſpublica à malis quod tamen intendebatur, ſed potius à bonis. Sequenturq́; ingentia illa incommoda quæ tangebam ſupra Dub. 8. rat. 3. quod eſt oppido notandum. Vnde ingentia hæc mala non ſunt iuſta cauſa vt innocentibus excitetur periculum.

Dices II. Ergo etiam abſtinendum à bellis, in quibus ſæpe innocentes non pauci parem cladem cùm nocentibus accipiunt.

Resp. Non eſt par ratio: nam aliud eſt indirecte & abſque infamia, quod fit in bellis, aliud directe ac tanta cum infamia, quæ morte grauior eſt, nocentes perimi, prout latius apud Theologos vide, cum de homicidio agunt: ſed & cauendum id in bellis eſt, quantum poteſt. Accedit quod infamia hæc de qua dixi, maius plane malum infert Reipubl. quam boni ex altera parte ſperari poſſit. Itaque in bellis vita tantum perditur, non fama; hic autem vtrumque, & inſigni quodam modo: nam infamantur integræ familiæ, eæq́; nobiliſſimæ in perpetuum, & infamatur ipſa fides Catholica, vt ſupra dixi, & vbi vna atque altera infamatæ ſunt, neceſſario ſequũtur infinitę aliæ, vt item innui, & inferius oſtendam Dubio 20. rat. 14. Imo ſi nec hæc quidem eſſent, & omnia paria cum bellis &c. Nihilominus expreſſam in particulari habemus reſolutionem huius

ius dubij à Chriſto in parabola zizaniorum; de qua infra: quæ auctoritas ſufficere debet contra quæuis argumenta. Vnde facio dilemma: Vel enim argumenta quæ contra nos afferri poſſunt, vim aliquam habent, vel non habent: ſi non habent, fruſtra afferuntur; ſi habent autem, cur id ignorabat Chriſtus, atque ea parabola quam mox adducam in noſtram ſententiam determinabat?

## Dvbivm XIII.

*Quid ſi periculum tale immineat innocentibus ſine mea culpa an adhuc abſtinendum à perſecutione nocentum?*

IN crimine noſtro vix locum id habet: Ibi enim, ſi modo proceſſus ita caute & diſcrete inſtituantur, vt illi periculum ſecum nullum trahant, non videtur aliunde metuendum periculum: tamen quia generaliter quæritur, dicam quod ſentio. Itaque

Respondeo, Si Princeps vel Magiſtratus quiſpiam Rempublicam purgare velit, ac in malos inquirere vt è viuis exturbentur, interim vero aduertatur peri-

periculum ne ſimul innocentes perimantur: aio, quod etſi Magiſtratus talis periculi cauſa non ſit, omnino tamen videatur ab inquiſitione & peremptione malorum abſtinendum eſſe. Rationes iſtæ ſunt quas adducit Tannerus.

Ratio I. Hæc olim in veteri Teſtamento ſententia fuit magni auctoris Abrami: qui cum Deum cerneret in Sodomitarum necem licet iuſtam accinctum, vt ab innocentum ceruicibus cladem auerteret, omnibus impunitatem orare auſus eſt: *Abſit à te*, inquiebat, *vt rem hanc facias, & occidas cum impio iuſtum; fiatq́; iuſtus ſicut impius, Non eſt hoc tuum qui iudicas omnem terram: Nequaquam facies iudicium hoc.* Sic ille.

Ratio II. Sententiam hanc Deus ipſe ſecutus, exemplo obſignauit, dum mox audita Abrahami oratione, populoſiſſimæ ac nequiſſimæ vrbi impunitatem adiudicauit, ſi in tam ingenti numero vel decem ſaltem iuſti interfuiſſent.



Digitized by Google

RATIO III. In nouo Teſtamento ita Legifer noſter Chriſtus manifeſte præſcribit in parabola zizaniorum, Matt. 13. Dicebant ſerui Patrisfamilias: *Vis imus & colligimus zizania?* Reſpondet ipſe: *NON, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum.* Vbi nota non dici ſolum, *ne eradicetis*, ſed adiungi quoque particulam, *ne forte eradicetis*: vt oſtendat duo ſe docere: nimirum imprimis abſtinendum ab extirpatione zizaniorum, ſi ſimul euellendum ſit triticum, quod indicant verba illa, *ne eradicetis*; deinde vero abſtinendũ, ſi vel eradicãdi ſimul tritici ſit periculum, quod indicat adiuncta particula *ne forte* eradicetis; nihil autem hic diſtinguit, ſiue periculum hoc cum culpa ſiue ſine culpa ſeruorũ extirpare volentium cõtingat, ſed ſimpliciter & abſolute ait eſſe abſtinendum ab eradicatione propter hoc periculũ: id quod intendebam oſtendere.

DICES, Hoc argumento de zizaniis vtuntur pro ſe Hæretici omnes, dum contra eos Inquiſitio inſtituitur, & tamen Eccleſia contra eos procedit.

RESP.

RESP. Vtuntur male. Nam parabola hæc non docet ſimpliciter ſinenda eſſe zizania, ſed ſinenda eſſe tum, cum eſt periculum ne ſimul triticum euellatur. In extirpandis autem hæreticis per Inquiſitionem, abeſt hoc omne periculum: Iam enim ſat noti ſunt, & à Catholicis diſtincti per Eccleſiæ Concilia: nihil eſt igitur, quod hac parabola iuuare ſe velint. Quod ſi tamen diſtingui non ſat poſſent, aut ita euelli, quin & triticum periclitaretur; vtique & tum ſinendi eſſent, iuxta Euangelij præſcriptum, nec Eccleſia tunc contra eos procederet. Et ita parabolam hanc explicant Eccleſiæ Doctores, D. Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. & contra Creſconium lib. 2. cap. 34. & 37. ac contra literas Petiliani lib. 3. ca. 2. & 3. Item D. Thomas 2.2. qu. 10. art. 8. ad 1. quos ſequuntur paſſim omnes Interpretes, nec quiſquam ex tanto Scriptorum numero diſſentit. Nec poſſunt omnia ſcandala de mundo tolli, permittenda ſunt plurima, quæ commode emendare non licet. Satius eſt triginta



Digitized by Google

& amplius nocentes dimittere, quam vel vnum innocentem plectere: *Præſtat enim*, dicente Auguſtino contra literas Petiliani lib. 3. cap. 3. *quamdiu palea cum frumento trituratur, ante tempus ventilationis tolerare potius propter bonos commixtionem malorum, quam violare propter malos charitatem bonorum.* Ita ſæuiendum in malos eſt, itaq; gladius librandus, ne in innocentum quoque ceruices incidat.

RATIO IV. Intempeſtiuus videtur zelus, vt cum paſſim clamitent magiæ crimen occultiſſimum eſſe, Dæmonem autem vaferrimum & nequiſſimum ad fallendum etiam prudentiſſimos quoſque, qui omnem ætatem in ſpirituali militia contriuerint: nihilominus ad tam occulta veſtiganda, & ad colluctandum cum verſutiſſimo hoſte puri laici & ſæculares tanto impetu ruant: Nullum hic è ſacris literis aut exemplum aut pręceptum afferre eſt, quo tale quid ſuadeatur. Puniri crimina mandauit Deus, nimirum *ſi occultiſſima non ſint*; *ſi innocentes à nocentibus diſcerni commode*

 *poſ-*

Digitized by Google

*poſſint*? alioqui de zizaniis inter triticum enatis iam dictum eſt; *ſinite vtraque creſcere vſque ad tempus meſſis*, tunc Angeli ſeparabunt & mittent in caminum ignis. Sinamus vt hi potius occultiſſima diſtinguant: aut ſi nos, etiam rudes laici, & ſpiritualis nequitiæ imperiti, ea diſtinguere nouimus, & tam innumeram reorum multitudinem ab innoxiis eximere, quid eſt quod occultiſſimum vocemus crimen? Manifeſta ſunt alia complura ſcelera: cur ſi zelus Magiſtratuum à Deo eſt, non ea primum vindicantur, ac deinde ad occultiſſima venitur?

Itaque ſi nec periculum hic eſſet vllum, nihilominus præpoſterus foret ordo, vt præteritis quæ in oculos omnium inuolant, ea primum perquirantur, quę obſcuriſſima ſunt.

Rectiſſime mihi illæ Reſpublicæ facere videntur, quæ vbi quid in crimine
NB Magiæ apertius ſe caſu aliquo protulit, mox exſcindunt; tum autem vlterius occultiſſima rimari periculoſiſſimis viis prorſus abs re boni communis eſſe exiſtimant.

Digitized by Google

ſtimant. Sed ne tamen qui omnino perſequi Sagas volunt, mox commentarium hunc abiiciant, docebo eos qua cum optima ratione id faciant: non terreantur, pergant legere, inuenient quæ non diſplicebunt.

## DVBIVM XIV.

### *An expediat inſtigare Principes ac Magiſtratum ad inquiſitionem contra Sagas?*

RESPONDEO, Non exiſtimo expedire niſi cum eo, vt ſimul etiam admoneantur de rei arduitate quam hactenus inculco: perinde vt non expedit, ſi quem in locum lubricum adducas, neque ſimul ſollicite moneas qua cautione procedat.

Audiui ego concionatores nonnullos, qui pro egregia ſua facundia, mire in hoc argumento declamabant, & Magiſtratui ſuadebant, vt in peſtem hanc Sagarum de Republ. eiiciendam ſeueritatem ſuam omnem diſtringerent. Audiui & alios, qui in priuatis allocutionibus, iras Principum exacuere, & cri-

minis huius atrocitatem ſuis coloribus exſcribere non deſiſtebant: tum autem pleni ingenti quodam zelo pene ignem de cœlo citaturi videbantur.

Non id ego quidem abſolute reprehendo, nec nego deteſtandum eſſe tantum Sagarum ſcelus, aut armandam dextram Principum aduerſus tantam peſtem: quin imo nihil magis in votis ponam, quam vt purgatiſſimus ſit Eccleſiæ Catholicæ ager ab omni adulterina planta: ſed eſt quod in bonis & prudentibus viris deſidero; vt quandoq; ſepoſito affectu obſeruare conentur, quis ſępe ab imprudentibus Iudicibus ſeruetur inquirendi in hoc crimen & procedendi modus: conſiderent etiam quam opus hoc periculoſæ aleæ ſit plenum, quamq́; vere non ſolum colluctatio ſit aduerſus carnem & ſanguinem, ſed contra principem tenebrarum: Ac tum denique, cum apud Magiſtratum de extirpandis zizaniis feruenter & zeloſe agere volent, id ſemper vna addere ac ſincere monere, imo inculcare meminerint; cautionem quam maximam adiun-

iungendam eſſe, quo ab ipſo tritico zizania hæc accurate diſtinguant, atque omne periculum auertant à ceruicibus innocentum. Adducatur parabola de qua diximus, atque ea explicetur, cum hæc vtique negligenda non ſit, nec fruſtra à Chriſto Domino nobis relicta: nihil ea mali cauſatura eſt, nec tam iuſtitiam cohibebit quam formabit.

Notent hoc diligenter Principes, aut quia Principes iſta lecturi non ſunt, ij qui Principes monere poſſunt. Sed

DICES, Videri me eo tendere, vt grauiſſima crimina in Republica tolerentur, & iuſtitia retardetur, ideoq; audiri non debere tanquam ſcelerum patronum: *ſic* enim nuper non neminem intelligo dixiſſe eorum quos moneo.

RESP. Quo tendere videar non habeo aperire, eo tamen me tendere adhuc oſtendi, quo allata Chriſti parabola zizaniorum cum interpretatione non *mea*, ſed *communi Doctorum*.

Non intercedo iuſtitiæ, non obſiſto, nolo vt ſint crimina impunita, ſed id ſolum volo, *quod Legiſer noſter Chriſtus ſuo* ore

*ore ſanciuit, non euellenda eſſe zizania, ſi periculum ſit, ne forte cum eis & triticum euellatur*. Id cupio innoteſcere iis qui ad purgandum Reipubl. agrum ſe accingunt: an hoc ſcandalum cuiquam dabit, ſi de ſummi Legiſlatoris voluntate Principes velim erudiri? aut locutus eſt aliquid Saluator noſter quod ſilentio premi debeat, ne ſceleribus & Sagis patrocinari aut infringere curſũ Iuſtitiæ videamur? Quin imo iam ex hoc ipſo quod obiicitur, tanto fortius ſumo argumentum ad probandum id quod paulo ante dicebã, nimirum admoneri prorſus Principes debere de circumſpectione, cum ad inquirendas Sagas inſtigantur: Cum enim tã zeloſos apud ſe habeant inſtigatores qui audire me quidem nolint, ac quę inſignis calumnia eſt, patronum criminũ appellent, cũ aliud non dico, niſi quod in Euangelio Chriſti reperio: timeri non imprudenter poteſt, ne huiuſmodi monitorum tam acri feruore, ſubinde aliquanto longius quam oporteat in tam arduo negotio prouehantur. Vnde ſequitur quod vel ex hoc capite tanto

to amplius diligentiæ, & attentionis commonefieri debeant.

Itaque attendant Principes qui ſint iſti qui ſic vehementer vrgent, vt in magiæ crimen arma moueantur: nam præterquam quod timendum dixi ne nimius eorum zelus Principem extra metas abripiat, ſæpe alia ſe zelo admiſcent, vt cupiditas, vel ignorantia, &c. ex quibus concludere Princeps debeat ſiſtendum ſibi potius & morandum, quam ſic illico quo vocāt feſtinandum eſſe. Repeto enim quod dixi: ſi tam vehementis zeli & inordinati affectus homines apud ſe Principes habent, prudenter metui poteſt, ne vt ſolet fieri affectibus impediti, nec aduertant, nec caueant plurima, quæ deinde, vbi cœpti ſemel erunt proceſſus, periculoſa innocētibus futura ſunt, & ſic ſimul triticum in diſcrimen adducatur. Quod igitur ne fiat, non modo monendi Principes erūt, vt quam cautiſſime, ſed ſimpliciter vt ne procedant quidem, cum omnis cautio futura fruſtra ſit, quamdiu impetuoſos huiuſmodi & imperitos monitores



Digitized by Google

Principes habituri ſunt. Nam ſi inprimis in me iniqui audent eſſe, & calumniari *quod adhæream opinioni noſtri Legiſlatoris*, quam æqui illi & modeſti erunt in pauperculas captiuas, in quas non modo impune eis graſſari licebit, ſed & ſub pulcherrimo Iuſtitiæ prætextu? Deinde ſi tam parum quoque prouidi ſunt, vt ea contra me obiiciant, quæ ipſiſſima mihi arma fiant contra ipſos: quam illi prouide & perite conſulent, aut ſtatuent in difficillimis Sagarum cauſis, quibus nec maxime ingenioſi ſe pares eſſe confidunt?

## DVBIVM XV.

### *Qui maxime ij ſint qui Magiſtratum contra Sagas identidem inſtigant?*

RESPONDEO, Sunt quatuor fere generum quos ponam ordine.

PRIMI Generis ſunt ex Theologis, & Prælatis ij tantum, qui ſpeculationibus ſuis & muſæolo contenti altiſſima quiete gaudent: quid foris geratur, quis ſqualor carcerum ſit, quod vinculorum pondus, quæ inſtrumenta torturarum,

quæ

quæ lamenta pauperum, & ſimilia, experientia nulla didicerunt: viſitare cuſtodias, colloqui cum mendicabulis, inclinare ſe pauperum querelis, & præter dignitatem eorum eſt & ſtudendi munus. Quid igitur illi in his rebus intelligere poſſint? ac proinde quid à Principibus audiri?

His adiungo ſanctos quoſdam & religioſos quidem viros, ſed imperitos plane rerum & nequitiarum hominum, qui vt ſunt ipſi ſimplices ac ſancti, ſic Iudices & Inquiſitores omnes in his cauſis eſſe putant, ac ſummum eſſe nefas exiſtimant, ſi non omnia publica Iudicia vt ſacroſancta veneremur, quę errare non poſſint.

Itaque ſi audiant aut legant narratiunculas quaſdam ſępe aniles de maleficis, ſi confeſſiones tormentis expreſſas; mox vt Euangelicas hiſtorias amplectuntur; & zelo prius, quam ſcientia intumeſcunt: clamant tolerari ſcelus hoc non debere, omnia eſſe maleficis plena, exurgere in has peſtes omni conatu oportere, & ſimilia complura:



Digitized by Google

Nec, vt ſunt iudicio innocenti, periculum vllum apprehendunt. O ſancti & boni! quid his faciamus, cum non niſi optime Reipubl. conſultum velint? qui ſi ſcirent quæ paſſim malitia & imprudentia in procedendo vigeret, clamarent vtique quod eorum Magiſter Chriſtus: *Sinite vtraque creſcere vſque ad tempus meſſis:* nunc probi & ſimplices inſtructionis non ſunt capaces.

Secvndi Generis ſunt ex Iuris peritis, ij tantum, qui, quod paulatim animaduertunt lucroſiſſimam hanc eſſe prouinciam, ſi Sagarum cauſis admoueantur, eam prenſant: ac ſubito pientiſſimi homines, miros ſcrupulos Magiſtratibus mouent, ni in crimen hoc excandeſcant: quos ſcilicet, quo tendant, nemo videt.

Tertii Generis ſunt imperitum & fere inuidum ac malitioſum vulgus, quod cum impune paſſim inimicitias ſuas infamando vleiſcitur, aut loquacitatem non niſi detrahendo conſumit; quid eſt quod audiri prudenter & ſalua conſcientia poſſit, niſi primum fama pu-

publica acerrimis pœnis vindicetur à libertate calumniandi? Sed de hoc dicam infra, dub. 34. Id tantum breuiter moneo, hunc iam hodie eſſe vulgi morem, vt ſi Magiſtratus non ſubito ad quoſcunq; futiles eorum clamores capiant, torqueant, & vrant, mox liberrime vociferentur, timere ipſos ſibi & vxoribus, ac amicis: Corruptos eſſe à ditioribus, honeſtiorem quamque familiam Vrbis, Magiæ obnoxiam eſſe; pene digitis deſignari Sagas poſſe; hinc procedere non audere, & ſimilia complura, quæ maniféſtiſſime arguunt, quam inſignis populi malitia ſit. Et hi ſcilicet prudenter audiri poſſunt, in ſe inuicem Magiæ crimen afflantes, cum etiam vel ipſos Magiſtratus ſic ſine vlla cauſa infament? Atque vtinam non etiam viros Eccleſiaſticos & Religioſos nominare poſſim, primi generis antea recenſiti, qui hos populi clamores in Magiſtratum, ipſi quoque promoueant, cum compeſcere deberent.

QVARTI Generis ij ex vulgo dicuntur eſſe, qui cum ipſi malefici ſint, vt tan-

tanto longius à ſe omnem criminis ſuſpicionem reiiciant, præ omnibus reliquis eximio quodam&nimis exuberante ſtudio bacchantur in Magiſtratus, quod lentius ſe in Sagas commoueant. Accidit enim iam in locis quampluri-mis, vt eximij illi Inſtigatores & ipſi deinde denunciati, capti,torti,confeſſi, & cum cæteris exuſti ſint,dictitantes ea ſe importunitate vrgēdi non niſi latebras ſuo ſceleri quæſiiſſe. Adeo vt nuper auditus dicere ſit quidam Inquiſitor, ſe quidem cum totviderit huius rei exempla,non poſſe non prudenter eos habere ſuſpectos, ſi quos audiat ita extraordinario zelo in id crimen efferri: dixit hoc ille,&dicunt plures,ego dicere non auſim,tale tamen facio dilemma: plurimi tales quales iam dixi,imo pene innumeri ita confitentes exuſti ſunt; vel igitur hi innocentes paſſi ſunt, ex odio aliterve delati,vel nocentes. Si prius; ecce quam pulchre procedimus, vt nec innocentibus & his tam multis proſpectū ſit; vbi cogitationes ſuas habent viri docti, quos conſulunt Principes vt ſe non refle-

Digitized by Google

reflectant? ſi poſterius, ecce igitur quam pronum eſt de iis peſſime poſt tot exēpla ſuſpicari, qui ita vehementer in Magiæ crimen zelant! Ego vero omnino exiſtimo, Inquiſitores eos, qui, vt ſupra diximus, Theologum Tãnerum ad torturam applicandum cenſuerunt, maleficos ſine dubio eſſe, & ad hanc quartam claſſem pertinere: Indicia mihi nõ deſunt, quæ non niſi vnica hac cauſa ſilentio premo, ne Magiſtratus turbem, neve immiſceam me cauſis ã mea profeſſione diſſitis. Animaduertant interim Principes quid agant, & cum ſpecie Iuſtitiæ ad rem difficilem incitantur, probent Spiritus an ex Deo ſint. Non plane nego extirpãda eſſe zizania (fruſtra hic zelare ſine ſcientia magni quidam volunt) ſed nimirum *ſi cognoſcantur, & diſtingui ſine periculo innocentum poſſint*. Euangelium in manibus eſt; ſi id Conſiliarij Magnatum non legunt, at legent forte curioſitate ducti, quæ nos hic commentati ſumus. Repetimus igitur iam aliquoties; hanc Chriſti eſſe legem, Matth. 13. *vt ſi periculum ſit euellendi*

*ſimul*

*ſimul tritici, ne zizania quidem extirpentur*. Vel hoc Præceptum Chriſti eſt vel Conſilium duntaxat: Si præceptum; cum ſit in materia valde graui, grauiter luet qui tranſilierit. Si conſilium autem; caueat quicunque eſt ille Princeps, qui conſiliarium hunc non admittat, cum vllum admiſſurus ſit.

Porro vt hic finiam; monere placet pro concluſione, obſeruaſſe me quod ſequitur, & oppido notandum eſt: plerique enim eorum qui ita vehementer in oppidis ſuis & pagis Inquiſitionem contra maleficos vrgent, cum conſcij ſibi non male ſint, non aduertunt, nec proſpiciunt quod ſi feruere torturæ inceperint, ac torti ſinguli denunciare aliquos debeant, conſtanterq; ſic proceſſus continuentur, neceſſario futurum, vt & ad ipſos quoque tandem perueniatur: quippe cum, vt ſupra monui, finis inueniri nunquam poſſit, dum omnia exuſta ſint. Vbi igitur poſtea ſe quoque denunciatos eſſe ac rapi vident, tum primum oculos aperiunt ac lamentantur: ſed fruſtra: nam quo ante feruentiores

tiores

Digitized by Google

tiores contra Sagas fuere, tanto nunc nocentiores putantur eſſe, qui hoc velut pallio ſe integere voluerint: quod ipſum cum torturis intolerabilibus oppreſſi fateri denique cogantur; cum cęteris in flammas eunt: eatenus quidem cum plurimis aliis innocentes; ſed hoc tamen iuſto & occulto Dei iudicio conuenti, quod affectibus non ſat ordinatis abducti, in alienam primum famam, libere & confidenter linguam laxauerãt, & ſuppliciis eorum procurandis impetuoſius incubuerant. Caueant ſibi, qui hæc ignorant.

Itaq; qui prouidentiores hodie ſunt, viri nobiles & magni, cum paſſim cernere oculis ac ſimilia deprehendere incipiunt; *ſuadere Principibus proceſſus* non audent.

Itali certe & Hiſpani, qui ad ſpeculandas res & meditandas proniores à natura videntur eſſe, cum non obſcure videant quam ſi Germanos imitari velint innumeram innocentum turbam ſimul abrepturi ſint, recte abſtinent, & *ſolis* nobis vrendi hanc prouinciam com-

committunt, qui noſtro malumus zelo confidere, quam Legislatoris Chriſti Præcepto acquieſcere.

## DVBIVM XVI.

*Qui poſſit in proceſſibus contra Sagas caueri ne innocentibus periculum creetur?*

RESPONDEO, Sapienter vtcunque prouiſum erit, ſi ſequentes Cautelę adhibeantur.

CAVTELA I. Curent Principes ante omnia, vt qui cauſis Sagarum dirigendis aut iudicandis adhibentur, ſint ad id munus tanti ponderis perquam idonei. Tales erunt ſi apprime docti, prudentes, probi, miſericordes, manſueti fuerint, ne quid ſcilicet, vel imperite, vel improuide, vel maligne, vel crudeliter, vel impetuoſe agant. Explicatione res non indiget.

Non accuſo hic quenquam, ſed tamen de imperitia multorum id affirmare poſſum, mirari me ſubinde quam parum rerum conſequẽtias diſcernant; quam leuiſſimis ſæpe contra reos argumentis pondus plurimum ineſſe putẽt;

ac

Digitized by Google

ac rurſum leuiſſima exiſtiment, quæ pro reis pondus ac momentum habent. Vnde & contingit, vt cum vel tantilla ratione ſuauiter & amice vrgentur, tum aut obmuteſcant, aut indignentur, ac rem diſcuti examinariq; ad rationis & doctrinæ libellam nolint.

Non probo autem, vt ſi quem Theologum adiungere ſęcularibus Principes velint, iungant magnum aliquem Doctorem & Prælatum, qui auctoritate & titulis polleat, præſertim ſi ſimul ab impetu & faſtu notam habet.

Ratio eſt: quia I. dum tales autoritate alios premunt, id facile obtinent, vt quicquid ipſis ſolummodo ſit viſum, præualeat: nec obniti quiſquam contra argumentis libere audeat; ne vel ipſos in ſe cōcitet, vel Principem apud quem valent. II. Sæpe etiam in talibus doctrina & iudicium non tanta adſunt, quanta tituli & perſonæ dignitas ſpondent. III. Qui tanti ſunt, non facile eam quam oportet experientiam his cauſis iungent: non adibunt carceres, non audient paterne, nec ſolabuntur iacen-

tes in ſqualore & pœdore ; non ad reliqua ſimilia ſe dimittent; ſed per alienas tantum aures lamenta miſerorũ intelligent,&quod illi pro ſuo quiſque affectu factum aut infectum eſſe dicturi ſunt, credent : quod ipſum æque poterant Principes. IV.Non erit hoc aliud quam multiplicare ſumptus ; de quo iam tum vbique ingentes ſunt querelæ, adeo vt iam dictitent ſperare nunc pauperes immunitatem paulatim ab Inquiſitionibus poſſe, cum omnia exhauſta ſint. V.Si quis tantę auctoritatis impetuoſior forte ſit,iam ter tanto nocentius id erit, quam ſi idem aut maior impetus cum minore authoritate in alio coniunctus eſſet.

Cavtela II. Nihil autem æque curandum, quam vt Iudices ac Inquiſitores ij ſint qui iuxta dictamen non ſolum legum,ſed etiam naturalis rationis,dum res non aperte manibus tenetur pro reo ſeu accuſato potius quam contra eum inclinent.

Incredibiliter hic paſſim peccatur: neque capio qui iam ſaluæ eſſe poſſint vllæ

vllæ æquitatis leges, cum pleriq; omnes ſic contra iam captas deſęuiant,vt quicquid quoquomodo eis aduerſum ſit, quiſquis qualitercunq; in eas incurrat, id validum ac rectum ſit. Tum autem quicquid eis fauere poſſit,quiſquis qualitercunque pro eorum innocentia teſtanda argumenta afferre velit, atq; ipſi etiam pro ſe loqui,id vanum incaſſumq; ſit,ac penitus explodatur: tanquam inculpari quiuis, exculpari nemo poſſit. Itaque id agere videntur iniqui homines, vt per fas & nefas reos faciant quos ceperint: cum id potuerint, gaudent ac triumphant; ſi non potuerint, ſed contra innocentia cuiuſpiam in apertum euolarit, tum vero frontem contrahunt, muſſant inter ſeſe, murmurant, indignantur, concoquere non poſſunt,cum gaudere potius oporteret. Quæ hæc ratio æquitatis eſt? Et vbi oculi Principum,vt hæc non videant? aut ſi vident ac norunt,vbi conſcientia, vt his talibus gladium committant? Inſero quod nuper audiebam. Proponebam punctum hoc viro cuidam magno;

hortabarq; vt ſedate & cogitate cauſas intricatas excuteret, ac non minus qui defendi reus quam accuſari poſſet, attentionem ſuam applicaret, nec pronior adeo ad capiendum eſſet, quam ad dimittendum, vt primum ſeſe quiſque legitime, vel ante, vel per torturam purgaſſet. Reſpondebat ille: ſe vero nimis quam à Principe ſuo, vt acerrime procederetur, vrgeri: non eſſe monitionum & mandatorum finem; vocari ſe pene etiam in ſuſpicionem criminis, ni rem ſtrenue procuret; itaque quid poſſet? Steti ego attonitus, atque hæc mecum: Itaque hæc Principis vllius Germani mens eſſe poteſt, vt perinde ſit quam rite procedatur, dũ ſtrenue procedatur? non credo ſane, ac ſcio mentem non eſſe. Imo ſi mens quoque ſit: an tamen illiuſmodi miniſtros Principes Germani & Germanos quidem habent, qui vel contra conſcientiam procedere ſuſtineant, ne non Principi ſatisfiat? Ego vero ſi ſim Princeps, confidere non poſſim, eos mihi futuros fideles, qui conſcientiæ ſibi ſuæ fideliores non

ſunt,

ſunt, atque excipere diſerte non audent, ſe quantumcunque mandatis vrgeantur, aliter tamen quam coram Deo in conſcientiis ſuis tueri ſe poſſint, non eſſe proceſſuros. Quicquid ſit, valde metuo, ne in magno Germaniæ tractu, vix liceat vnum aliquem Iudicem ſeu inquiſitorem nominare, qui ſic laboret reperire aliquem innocentem quam nocentem: quiq; ſic tueatur repertam innocentiam, quam tuetur confeſſionem quantumuis periculoſiſſimis quæſtionibus extortam. Faxit Deus vt fallar, argumentum id habeo inſolubile, quo me ſemper hactenus conuinco, rem inique geri, & Magiſtratus in conſcientia tutos non eſſe.

CAVTELA III. Remoueantur ea omnia, quæ putarentur Inquiſitores aut Iudices poſſe deprauare, ne occaſio furem faciat, quod dici ſolet, vt V.G. ſtipendium iis certum aſſignetur, non autem in ſingula capita puniendorum.

Nam præterquam quod id turpe & *carnifici proprium*, ac proinde à conſtitutione Carolina articulo 205. merito ex-

 plo-

Digitized by Google

ploſum eſt, anſam quoque dare poteſt iniuſtitiæ, vt plures eſſe cupiant nocentes quam pauciores.

Ne Principibus quidem ſuadeam, vt reorum bona confiſcent, neſcio quid & hic periculi aut materiæ ſermonum: iactari enim iam tum paſſim has vulgi voces audimus: expeditiſſimum quietiſſimumq; eſſe diteſcendi modum, quem è buſtis liceat parare: non abs re fore, ſi à pagis ad oppida in familias ditiorum Magiæ ſuſpicio traduci poſſit: ædificare cœpiſſe Inquiſitores nonnullos & augere ſtatum: poſſe etiam eodem compendio agros & villas meditari ac ſimilia complura: quæ etſi non neſcio petulanter magis quam vere interdum effundi; præſtat tamen qualibuſcunque his dicteriis occaſionem omnem præſcindere. Præſumi certe non poteſt incorruptã eſſe Iuſtitiam Inquiſitoris illius, qui vbi per ſuos mire paſſim Ruſticorum animos in Sagas exacuit, tum autem ab eis accerſitus venturum ſe & exuſturum has peſtes reſpondit, præmittit exactores quoſdam, qui oſtiatim ei col-

Digitized by Google

collectam aliquam non parum liberalem cogant, quo velut inuitamento ſubarrhetur, ſic enim appellant. Hac collecta accepta vbi venit, & deinde actum vnum atque alterum celebrauit, ampliusq́; vulgi animos extumefecit narratione facinorum, & vlteriorũ machinationum quas iam exuſtæ confeſſæ fuerint, ſimulat abitum, & hunc interim ſtudioſe curat per prędictos exactores ſuos impediri, ac nouam aliquam collectam ſuaderi, qua adhuc retineatur, ad reliqua quoque zizania extirpanda: donec tandem ſic tolerabiliter emuncto pago alio ſe confert, & eadem induſtria ſe implet. Mihi ſane publica quædam hæc videntur tributa eſſe; quæ miror, vel quod Principes ſuis Inquiſitoribus, vel quod magnus Cæſar Principibus permittat: præſertim cum experiamur non parum hinc nutriri dicacitatem vulgi, vt ſi qui in ſolennibus illis collectis vel paulo amplius contulerint, vel minus, vtriq; à maledicis notentur: hi quod nolint promoueri iuſtitiam, quia forte vel ſibi timent vel ſuis;

illi quod occurrere ſua liberalitate velint, ne putentur eſſe quod forte ſunt.

CAVTELA IV. Quoniam difficulter haberi poſſunt perſonæ Iudiciales idoneæ, quales ante deſcripſimus, bene doctos, probos &c. quin imo etſi poſſent, nihilominus timenda eſſet nimia Iudiciorum diuerſitas, & proceſſuum inæqualitas, quæ & ſcandalum parere, & Rempubl. turbare poteſt: Quoniam etiam circa crimen hoc nouæ indies oriuntur difficultates, ante hac non ita ventilatæ ſic vt conſtitutio Criminalis Carolina non ſufficiat: optandum eſſet, vt à S. Cæſ. Maieſtate conſtitutio noua Criminalis toto Imperio obſeruanda decerneretur, in qua abunde de omnibus ad hoc crimen ſpectantibus ſic cautum eſſet, vt quam pauciſſima Iudicum arbitrio ac diſcretioni relinquerentur.

CAVTELA V. Quia vero ſua Maieſtas grauiſſimis aliis Imperij negotiis ac bellis impeditur, non abs re erit, imo plane neceſſarium, ac conſcientiis Principum eorumq; quos ipſi monitores habent, ſeu habere debent, plane incumbens;

vt

vt interea ſi qui Principes in Sagas generalem inquiſitionem inſtituere voluerint, ij, antequam tam arduum negotium aggrediantur, certam ac peculiarem aliquam praxin criminalem cõfici iubeant, quam Iudicibus ſuis omnibus, imo & Confeſſariis, qui Sagarum conſcientiis præponentur, diligenter legendam, & accurate obſeruandam præſcribant. Huiuſmodi Praxin valde quoque à Principibus deſiderat, tanquam admodum neceſſariam Delrius lib.5.inquiſit.appen.2.q.41. & Tannerus de Iuſtit. diſp.4. quæſt.5. dub.3. num.81. multiq́; alij hodierno tempore viri docti & religioſi, qui negotium hoc Sagarum accuratius ac penitius cõſiderant. Eſtq́; tanto amplius *neceſſaria*, quod nunc hodie quæ praxis multorum viget, eſt iniqua: contra quam ſi perſæpe viri docti nonnulla reprehendant, atque ex legibus ſeu ratione ſeu vtroque aperte conuincant, male & inique geri; non aliud tamen impetrant, quam quod audiant ridiculam & imperitam Iudicum reſponſionem:



Digitized by Google

Hæc hodie eſt Praxis: quod ſi igitur ex Praxi Ius & æquitas pendet, ea fiat Capitalium rerum communis Praxis neceſſe eſt, ad quam eruditi quoque & intelligentes ac ſollicitæ conſcientiæ viri, non inertes ſolum illi, & diſcurſuum rudes poſſint prouocare.

Cavtela VI. Ad conficiendam porro huiuſmodi conſtitutionem ſeu Praxin Criminalem, non ſolum Iuriſperitorum ſed etiam Theologorum ac Medicorum iudicium ac lima accedat: multa ex hoc noſtro commentario ſuggerentur, quæ ſeruire poterunt: tum vbi confecta fuerit, primum Academiis aliquot examinanda ac diſputanda offeratur: poſt ad Iudices mittatur in effectum deducenda, cum monitione, vt ſi quid intra anni ſpatium occurrat, vel nouæ vel nondum exhauſtę difficultatis, aut quid ſimile, quod addendum, detrahendum, mutandum videatur, id omnino ſignificent, quo vlterius diſcuti ac reliquis addi, vel detrahi poſſit. Ita fiet, vt poſt tam accuratam limam, perfectum aliquid proferatur: ſperandumq́; erit, vt quan-

Digitized by Google

quando eam quæ in nobis eſt, curam ac diligentiam fecerimus, tunc Deus Opt. Max. prouiſurus ſit, ne qua noſtra cum culpa ſanguine innocēti tribunal ſpargamus. Alioqui niſi aliter quam adhuc hodie paſſim fieri video procedatur, omniq; ſtudio de opportunis remediis prouideatur, nequeo ſalua cōſcientia vlli Principū ſuadere aliud, quam vt ſi cœpit, abrumpat; ſi non cœpit, abſtineat, propter manifeſtam non paucorum innocentium cladem, quorum vtiq; ſanguis clamore non vacat. Atque id ego nuper reſponſum dedi, cum ſuper hac re rogatus eſſem: qui aliter conſulunt, vel ignorant quid geratur, vel ipſi gerunt, quæ queror, & inferius hinc inde querar. Non abs re nuper viſus eſt loqui, qui exiſtimabat non alia ratione corrigi errores poſſe publicos, ac æquitatem conſtitui, quam ſi ſupplicatio demum fieret, ad ſummam Iuſtitię aram, id eſt, pientiſſimum Germanię Patrem Ferdinandum II. vt is Magiſtratibus tantiſper quietem indiceret, dum de ratione ſua procedendi, clarius do-

Digitized by Google

docerent, ac ſi qui eſſent interea, qui queri vellent, id nemini eſſet fraudi.

CAVTELA VII. Quoniam vero plurimi exiſtimant, impunitatem Iudicum non paruam eſſe cauſam, cur conſcientiæ pleriſque laxæ ſint, curabit Princeps de eorum delictis fieri certior, & ſic vbi exerauerint, ſeuere in eos animaduertet: vt V.C. ſi contigerit ſine ſufficientibus Indiciis quampiam tormentis ſubieciſſe, eum coget vt iuxta communem Iuris & rectæ rationis ordinem perſonæ læſæ exacte ſatisfaciat. Ita fiet vt cum intellexerint, impune ſibi negligentibus & laxis eſſe non licere, eam rebus ſuis curam ac ſollicitudinem commodaturi ſint, quæ metum nobis eius de quo hactenus loquimur, periculi vel tollat vel imminuat. Remedium id & præſentiſſimum erit, & infinitis miſerorum hominum ſuſpiriis exoptatum. Sed quis Principum amplectetur? aut potius quis Principibus exponet? Arguebat me quidam nuper, atque irriſorie taxabat, quid mihi hac ſuper re in mentem veniret, quod vel id à longe ſpe aliqua præ-

præcipere auderem, futurum quempiam, qui in ſimiles ſuorum Inquiſitorum errores iuberet inquiri. Neſcio an ita ſit, ſi eſt autem, culpanda certe hæc ſummorum Magiſtratuum incuria eſt. Inſero quod nuper in hanc rẽ contigit. Viri duo nobiles, quos nominare poſſum, diuerſis Principibus data venia loquendi ſic ſerio de Inquiſitoribus quibuſdam cõtra Sagas deſtinatis pronunciarunt: daretur modo ipſis commiſſio; ſe in Inquiſitores eos è veſtigio iiſdem plane indiciis ac tormentis, quibus ipſi hactenus ſolerent, proceſſuros: & ni ſic continuo eos maleficij manifeſte confeſſos flammis reos ſtatuerent, tum vero ſe id ſuiſmet capitibus luituros. Eandem ego conditionem accipio, palamq; profiteor, dum ſolum acta publica, quæ nunc tamen non fideliter curãtur, peruoluere mihi liceat, paſſim omnia erroribus plena oſtenſurum. Sed hæc quorſum? audierunt iſta Principes & tacuerunt: audiunt eorũ Confeſſarij & tacent. Nam quid fiet? Deus iſta non videt ſcilicet, nec gemitus innocentum attendit.

D v-

## DVBIVM XVII.

### *An captis in cauſa Magiæ permittenda defenſio ſit, & Aduocatus concedendus?*

PVdet me quæſtionis, ſed iniquitas noſtrorum temporum pudorem detergit: exiſtimant imperiti (imo malitioſi & iniqui, cum tam imperitus vix quiſquam eſſe poſſit) quia Crimen hoc Sagarum exceptum ſit; omnem prorſus defenſionem præſcindi oportere. Sed quid ſit ſentiendum, duplici Reſponſione breuirer explicabo. Itaque

RESPONDEO I. Cum liquidum eſt de crimine excepto, reiicitur defenſio, & negatur Aduocatus ex iure communi iuxta cap. finale de Hæreticis in 6. & legem quiſquis, §. denique, C. ad leg. Iul. & leg. per omnes, C. de defenſione ciuitatum. Itaque, quod ſi capta quæpiam crimen quidem de ſe non negat; ſed crimine admiſſo, defendere illud cupit, id eſt, excuſare; vt verbi cauſa obtendendo artem eſſe liberalem, vel à Dæmone

Digitized by Google

mone ſe deceptam, coactam, &c. poteſt ei negari defenſio & aduocatus.

Ratio eſt: quia excuſationes huiuſmodi friuolæ ſunt, ac proinde explodi poſſunt, nec audiri: præſertim cum iam ſat excuſſa & definita ſit huius criminis atrocitas à communi Doctorum conſenſu. Sed hic difficultas non eſt, nec de hoc caſu propoſita quęſtio procedit. Itaque

Respondeo II. Cum non plene & plane conſtat de crimine, admittenda defenſio eſt, & aduocatus concedendus ex ſententia communi, vt vide apud Iulium Clarum, §. hæreſis, num. 16. & Farinacium quæſt. 39. num. 109. & 167. quod etiam ſeruandum in criminibus Exceptis, vt bene ſentiunt Autores citati à Delrio, & poſt eum à Tannero de Iuſtitia diſp. 4. quæſt. 5. dub. 3. num. 76. nimirum Doctores Ingolſtadienſes, Friburgenſes, Patauini, Bononienſes, Autores Mallei Eimericus, Penna, Humbertus, Simancha, Boſſius, Rolandus, &c. Imo quid Autores adducimus, aut ſententiam communem vo-

vocamus, quaſi auctoritate quæſtio cernenda ſit? eſt enim id plane Iuris naturalis (vt nemo hominum negare volet, qui ratione fungatur) vt defendere te poſſis, cum de culpa non es conuictus. Itaque quod ſi capta quæpiam crimen quidem non excuſare, ſed à ſe illud amoliri vult, negàns ſe eò ſcelere teneri de quo quæritur an teneatur, permitti debet integerrima ſui defenſio; & concedi aduocatus, quem optimum nanciſci poteſt. Imo tantum abeſt, vt negari hæc ei debeant, eo quod crimen Exceptum ſit, vt etiam ob eam ipſam cauſam tanto promptius concedi debeant, imo merito obtrudi. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Ridiculum eſt clamare crimen Magiæ Exceptum eſſe, antequam conſtet captiuam eius ream eſſe. Nam eſto ſit exceptum, ſit atrox, ſit funeſtum, ſit quantumcunque volet, quid tum poſtea ſi perſona capta eo ſe teneri negat? Quod ſi crimen id ipſa habet, tum vero age, dic exceptum eſſe, ac procede vt in exceptis licet; ſed id denique nunc eſt adhuc in quæſtione, an

eo

eo crimine ipſa ſit alligata? Ridicule igitur magnitudo criminis obiicitur.

Ratio II. Naturalis iuris eſt, vt nemini negetur iuſta & integra ſui defenſio, quam optima ea haberi poteſt: adeoq́; vt qui per ſe nequit, per alium ſe defendat, qui maxime idoneus videatur: quæ autem iuris naturalis ſunt, æque in exceptis ac non exceptis obſeruari debent, vt ſupra dictum eſt: fruſtra igitur exceptionem prætendimus, cum à iure naturali & rectæ rationis dictamine exceptio non detur.

Ratio III. Si autem, vt iam dixi, naturalis iuris eſt, vt nemini negetur iuſta ſui defenſio, tanto vtique minus negari oportebit, quanto maior erit ſui defendendi neceſſitas; & quanto maius erit malum illud, contra quod ſe quiſque defendit. Verbi cauſa, ſi conceſſum eſt à iure naturæ, vt prohiberi non poſſim, ne me defendam ab ictu cultri, multo minus igitur prohiberi potero, ne me defendam ab ictu bombardæ. Vnde ſequitur, vt ſi ius nactus ſum à natura defendendi me & purgandi à Crimine mi-

nori, multo maxime ius habeam me defendendi & purgandi à Crimine maiore, ac præſertim tam atroci quam eſt Magiæ. Imo ſequitur, vt quo grandius eſt malum atque crimen, quod mihi intentatur, & à me repellere habeo, eo etiam melior & magis idonea concedi debeat defendendi ratio, per meliores & aptiores quoſque aduocatos; qui proinde ex vi iuris naturalis negari non poterunt.

Ratio IV. Idem plane præter ius naturale requirit charitas Chriſtiana: quæ quidem cum eius ſit naturę, vt non modo non impediat ne te defendas, ſed & potius iuuare velit, atque arma, quo id tanto poſſis melius, ſubminiſtrare cupiat: vtique & hoc aget, vt quo maior vis ac malum eſt, quod à ceruicibus tuis depellere ſatagis, eo quoque & impediat minus, & iuuet promptius, atque arma celerius, eaq; meliora in manus obtrudat. Ex quibus omnibus ſequitur, quod probare intendebam, non modo non negari poſſe, in crimine excepto, quam optimam integerrimamq; ſui de-

defenſionem, verum etiam hanc multo magis quam in crimine non excepto concedi oportere, ac qui ſecus faxit violati iuris naturalis & charitatis Chriſtianæ in re maximi momenti adſtringi, proindeq; peccati mortalis reũ cõſtitui. Poteſtne vero quiſquam Principum Conſiliarius tam eſſe ſimplex, vt neſciat, aut tam incurius vt nõ moneat? Iam enim Inquiſitores quoſdam optimorum & laudatiſſimorum Principum eſſe ſcimus, qui non modo Pontificiam Bullam Cœnæ, atque excõmunicationes contemnunt, dum ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia in Perſonas Eccleſiaſticas manus iniiciunt; ſed id audent quoque ex indiciis, quæ nec puer quiſpiam à Grammatica ſua abreptus non irrideat; &, ne inſuper via optima defendant, plane cauent. Atque hic ſcilicet eſt Iuſtitiæ zelus, vt cum authoritate iniqui ſimus, & libertatis omnis Eccleſiaſticæ, quam vel maxime tueri nos oportebat, euerſores. Quod ſi autem viris Eccleſiaſticis ſic indigne defenſionis via obſtruitur, & quicquid a-



Digitized by Google

gant, per fas & nefas nocentes debent eſſe, quid iam aliæ viles animæ ſperare habent! Mirantur multi, Eccleſiaſticum ordinem hęc non conqueri vbi oportebat.

Ratio V. Imo vt clarius pateat abſurditas & imperitia imo malitia eorum, qui in crimine excepto ſeu atroci negandum cenſent Aduocatum, quem in aliis concedunt: audiat me Lector qua ratione procedant, nam ita res habet:

Accuſat me quiſpiam commiſſi furti: magna hæc macula eſt meæ famæ; concedunt mox igitur periti illi & boni, vt me defendam ac maculam eluam, & ſi ipſe commode nequeam, Aduocatum eligam, qui pro me præſtet.

II. Accuſat me alius commiſſi adulterij: maior hæc macula eſt; adhuc igitur concedunt, vt hanc quoque notam eluam.

III. Accuſat tertius commiſſi veneficij: turpiſſima & maxima hæc macula eſt; mox igitur prohibent, ne me defen-

fendam nec eluam, & rationem addunt: maculam enim hanc turpiſſimam eſſe, crimen atrociſſimum, funeſtiſſimum, non igitur elui debere.

Quis non ingemiſcat ad hanc rationem tam præclaram! quippe quæ omnino contrarium euincat, vt quoniam crimen maximum eſt quod imputatur, maxima macula quæ aſpergitur, tanto amplius maiore ſtudio, melioribusq́; mediis ne meæ famæ adhæreſcat prouidere debeam. Pudet me Germaniæ, cum non melius in re tanti momenti argumentari nouimus. Quid dicent aliæ nationes, quæ iam tum ſimplicitatem noſtram ridere ſolitæ ſunt? indigna res ſane, quam nec infantes probare velint, vt ei contra vim peſtilentiſſimi ſerpentis manum liges, cui contra morſum pulicis vtramque ſoluis. Inſero hic quod mihi nuper vir clariſſimus narrauit, & ipſe multorum annorum Iudex. Princeps quidam quem nominare non attinet, in Sagas acriter aliquot annos animaduerterat; Incidit vt & religioſus quiſpiam cape-

retur; Mouit Ordo ſe, & defenſioni petiuit locum, ſed hunc penitus negabat Princeps, rogat tamen Iudicem, quem dixi, quid ipſi videretur? qui cum reſponderet, omnino concedi oportere, perſcribit rem ad Academiam quandam Germaniæ, à qua idem affertur reſponſum. Indignatus Princeps; ſi ſic, inquit, concedenda omnibus defenſio fuit, quam nos multos igitur innocentes hactenus perdidimus!

Euge bene! & quam multos hactenus alij quoque ex eodem capite innocentes perdiderunt, atque indies adhuc perdunt! Deus numerum ſane ſignat, & in iudicium ſuo tempore producet. Caueant Magiſtratus, ne dum ardere ſe putant Iuſtitiæ zelo, id agant vt ardeant in alterius vitæ flammis. Loqui hoc viri docti & prudentes debebant etiam in conſpectu Regum & non confundi, quia veritas eſt. Nihilominus prædictus Princeps procedi ſimpliciter volebat, cum ſic inſtaret, quod ni fieret, damnaret hactenus à ſe factos proceſſus: donec tandem non nemo commotum ani-

ni-

nimum hac voce ſedauit: Non ideo peccandum vlterius videri, ſi hactenus peccatum ſit: neque vnquam delictum prius, poſteriore poſſe corrigi, ſed augeri.

## DVBIVM XVIII.

*Quæ Corollaria ex proxime dictis colligantur?*

RESPONDEO, Colliguntur hæc, quæ etſi inter legendum ipſa ſatis in animum lectoris influere poterant, nihilominus quo certius eum ſtringant, ita ordine diſpono:

COROLL. I. Iniquum eſt, iis quæ defendere ſe volunt, quod Sagæ non ſint, negare aduocatum.

COROLL. II. Et quidem optimum, ac ſi quem ipſæ velint.

COROLL. III. Ac ſiquidem id ipſæ neſciant, aut non cogitent, non monere de hoc ſuo iure, ac ſincere inſtruere.

COROLL. IV. Iuuari potius debet ad defenſionem, & omnia neceſſaria concedi, quam quouis modo impediri.



Digitized by Google

Coroll. V. Gaudendum etiam eſt non contrahendum ſupercilium, ſi ea emergant, quæ captarum innocentiam oſtendant.

Coroll. VI. Quo grauius eſt crimen illud, cuius quiſpiam arceſſitur, eo grauius peccat is, qui defenſionem ei præcludit. Itaque in crimine Magiæ peccat grauiſſime.

Coroll. VII. Cum in carcerem reæ veniunt, concedendi ſunt dies aliquot, quibus ſe recolligant ac meditentur, quo ſe optimo modo defendant: Iniquum autem eſt, incontinenti ſtatim vt captæ fuerint, ad tormenta rapere. Ratio eſt, nam alioqui ſic ſubito tanta ſtatus mutatione conſternatæ, non ſat præſentes ſibi & paratæ erunt ad integerrimam atque optimam ſui defenſionem: quam tamen, vti vidimus, & ius naturę, & recta ratio omnino eis ſaluam vult conſtare.

Coroll. VIII. Neceſſario danda eſt reis copia indiciorum, quæ contra eos allata ſunt: ſi enim aduocatus & defenſio concedenda ſunt, non apparet quomodo

modo ea negari poſſit. Vt vide latius apud Tannerum de Iuſtitia, diſp.4. q.5. dub.3. num.73. Vnde contrariam quorundam locorum praxin male probat alicubi Delrius: vbi tamen nota ex malleo Sprengeri, parte 3. nomina teſtium contra reas teſtificantium, non eſſe eis edenda, nec eorum aduocatis, quando propter perſonarum potentiam imminere poſſet teſtibus aliquod periculum: quod ſi nullum ſit periculum, ea eſſe edenda, ſicut in aliis cauſis regulariter.

Coroll. IX. Non eſt aditus ad carcerem iis præcludendus, quorum opera vti cupiunt ad defenſionem: quod habetur quoque in conſtitutione Carolina, art.4. Vnde ſemper iudicaui iniquiſſimos eſſe, qui id cauent, ne doctior quiſpiam, quem rei expetunt, ad eos accedat, timentes ne eis argumenta ſuggerat ad remouendum crimen; cum ſane ſi quis innocens oſtendi poſſet, id magnopere optandum eſſet. Nuper quidam Sacerdos cum Iudicibus tacite & ſecreto ex protocollo demonſtraſſet, inique contra quaſdam proceſ-

ſum eſſe: non aliter monitioni dedere locum, quam quod illas capite plexuerunt, hunc autem ne ad vllas deinde cuſtodias admitteretur, ſanciuerunt: imo nunc audio, id pluribus contigiſſe.

Coroll. X. Iudicis ipſius eſt prouidere, ne Aduocati captiuis deſint.

Coroll. XI. Inepti ſunt Aduocati, qui operam ſuam in his cauſis Sagarum accommodare nolunt; quiq; alios, ne id faciant, abſterrent. Imo corrigo me, nam bene faciunt: Væ enim qui in his cauſis aduocare velint, transferent enim hoc ipſo in ſe litem, vt iam ſupra monui, quaſi nec ipſi forte eius artis ſint exſortes. Vah quæ temporum libertas! aduocare ſi quis audet, iam ſuſpectus eſt. Imo plus dico ſuſpectus eſt, aut ſaltem exoſus etiam is, qui ſolum Iudices amiciſſime hac ſuper re monere audet. Quæ cauſa eſt quod commentarium hunc monitorium, iam dudum à me conſcriptum, typis non euulgo, ſed amicis tantum pauculis manuſcriptum communico ſuppreſſo nomine.

Ter-

Digitized by Google

Terret me exemplum religioſiſſimi Theologi Tanneri, qui non paucos in ſe concitauit veriſſimo ac prudentiſſimo ſuo commentario.

Coroll. XII. Poteſt reus appellare à Decreto torturæ: quod & probat textus in l. 2. C. de Appell. recip. & ſentiunt communiter Doctores Bartolus, Baldus, Marſilius, Cotta, Follerus, Gomez, Proſper Carauita, Brunus, & alij citati à Farinacio quæſt. 38. nu. 10.

Coroll. XIII. Si Iudex non obſtante hac appellatione, ad torturam proceſſerit, & ob id à reo confeſſionem extorſerit, talis confeſſio prorſus nulla eſt, & inefficax ad condemnationem, vt ſentiunt iidem apud Farinacium, ibid. nu. 17. & 22.

Coroll. XIV. Reus etſi legitimis indiciis torturæ adiudicatus, non tamen debet torturæ ſubiici, ſi in contrarium alia habeantur indicia innocentiæ, quæ æque probent innocentiam ac iſta priora culpam: nam vna præſumptio merito ſane tollit alteram,



Digitized by Google

vt vide apud Menochium, de præſump. l,1. q.29.& 30. & Maſcard. de probat. l.3. concluſ. 1224. n. 4.& ſeqq. Et quando duæ inuicem contrariæ pręſumptiones concurrunt, videlicet delicti & innocentiæ, ſemper præferenda eſt præſumptio excluſiua delicti, inquit Farinacius q.38. n. 112. quod verum quoque eſſe ait ex communi ſententia Doctorum, quos multos citat, etiam ſi indicia pro reo allata inferiora paulo eſſent, quam quæ contra eundem allata ſunt; quæ obſecro quis hodie obſeruat? quis attendit an obſeruentur? miror vero quæ eorum ſit conſcientia, qui Principum conſcientiis non melius conſulunt, ſed tacent.

Coroll. XV. Iniquiſſimi ſunt, qui cum ſimulent ſe reis defenſionem concedere, nil minus agunt. Igitur vt diſcant Principes, quid apud quoſdam eorum Inquiſitores ſignificent illæ phraſes, cum dicunt ſe omnino concedere reis defenſioni locum, auditam eſſe Gaiæ defenſionem, ſed non ſubſtitiſſe, &c. vt diſcant item, ex quibus cauſis tor-

torturam reis decernant, ſciant ſic nonnullibi procedi: Vocat ad ſe Inquiſitor captiuam: ait non ignorare eam ob quam cauſam capta ſit, hæc atque iſta contra eam indicia produci: purget ſe igitur, & reſpondeat. Vbi reſpondit; tum etſi ſingula, vt ipſe ſępiſſime expertus ſum, accuratiſſime diluerit, ſic vt replicari nec tantillum poſſit, tangaturq́; manibus accuſationis totius futilitas, nihilominus nulla amplius reſponſionis diſcuſſione facta, nec ſubiuncto verbo, quaſi in ventos mulier locuta ſit, aut ſaxo narrarit fabulam, hoc ſolum ei dicitur, vt in carcerem redeat, & melius apud ſe perpendat, an in negatione velit perſiſtere; fore vt poſt horas aliquot reuocetur. Dum ea ad carcerem redit, ſcribitur in Protocollo, ream hanc rogatam in negatione perſiſtere: decerniturq́; vt igitur torqueatur.

Cum deinde reuocata eſt, hæc tantum audit: ſtitimus te hodie coram nobis, & negaſti, conceſſimusq́; tempus, vt melius perpenderes, & à peruicacia reſpirares. Quid ais igitur? an adhuc perſiſtis

ſiſtis, & negas? quod ſi negare pergis, ecce tibi Protocollum: factum eſt contra te decretum Torturale, ſic enim loquuntur: poſt quæ verba ſi adhuc negat, ducitur ad torturam, nec quæ attulit ad indiciorum purgationem, vel tantilla eorum fit mentio, quaſi ea omnia ſolo ſilentio retuſa ſint, ac tantundem plane fuerit, ſeu defenderit ſe mulier ſeu oſcitarit.

Quorſum igitur audita mulier eſt? quorſum ſe purgare iuſſa, ſi purgari nihil vnquam poteſt? Nam quæ illa vnquam ibi fuit, quæ quantumcunque ſe purgarit, rapta tamen ad torturam non ſit? teſtor autem Devm, tam accuratas me ſæpe audiuiſſe purgationes, vt qui ad diſputationes ſcholaſticas inaſſuetus non ſum, non inuenerim quid difficultatis fuerit relictum, quod non exhauſtum ſit: Idem & alios noui qui iurati affirmare audeant viri docti. Soli Principes ſunt, qui ne iſta neſciant, ſed longe aliter informentur, neſcio qua diuina punitione fit. Itaque quæ indicia Inquiſitores contra reas habent, diligenter

genter in actis perſcribuntur; quod autem pleraque & probata plene non ſint, & ſi plene probata ſint, quod rarum eſt, quid contra ea reſponſum ſit, & quo pacto accurate deterſa, ne verbulo memoratur. Vt ſane omnibus bene perpenſis quæ & dixi, & dicturus deinceps ſum, non poſſim non metuere, ne Magiſtratus illi, qui hodie in Sagas inquiri iubet, cum tam periculoſe inquiratur, damnationem ſibi accerſant.

Coroll. XVI. Neceſſe eſt quod ex proxime dictis ſequitur errare grauiſſime Inquiſitores, etiamſi ex allegatis & probatis procedant: quod oppido notare debent Principes, & Doctores quos illi conſulunt, nam paſſim hic impingitur ex *phraſium* ignoratione. Multi enim hodie Iudices indicia plurima probata legitime non habent, & tamē cum ex his proceſſerint, aiunt ſe procedere ſecundum allegata & probata: neceſſe eſt igitur inique procedi, etſi ex allegatis & probatis procedatur; quia tantundem eſt dicere allegata & probata, quam allegata & non probata,

ſed

ſed refutata: hæc verborum eorum ſignificatio eſt. Quod ne videar inuidioſe comminiſci, offero me ad probandum ſub pœna à iure decreta in calumniatorem. Mirantur amici quidam mei cum hæc legunt, & quęrunt an hæc igitur ſe ita habeant? id ſe credere non poſſe: quibus reſpondere ſoleo, ignorare eos adhuc prima Principia in hac materia, ac me pigere operam ſumere vt explicem, rogent DEVM; vt excitet Principes qui veritatem ſcire velint, & phraſes Inquiſitorum intelligere. Erunt qui ſe offerant ad eas explicandas, dum modo id eis liceat.

COROLL. XVII. Proceſſus is nullus & irritus eſt, in quo iuſta huiuſmodi defenſio reis negata ſit, & tenetur Iudex cum ſuo Principe ad reſtitutionem. Quod ſi Conſiliarij & Confeſſarij Principum non monent & recte inſtruunt; pariter omnes in culpa ſunt, ſeuere à Deo puniendi.

COROLL. XVIII. Æquiſſimum eſt, vt ſi Sacerdotes quoque aliquos ex indiciis indignis capi contingat, iis ſaltem

tem

Digitized by Google

tem pro tanti Ordinis & Eccleſiæ Catholicę reſpectu dies aliquot aut ſaltem vnicum in carcere inſtrumenta ſcriptoria concedantur: vt liceat ſupplicationē aliquam breuem aut apologiam ad ſuum Principem aut Diuum Cęſarem concipere. Poteſtne minus quid, & iuſtius ab eis peti? Ego vero exiſtimo ne quidem inter barbaros gentiles hanc tam exiguam veniam negatum iri morituris ſacrificulis idolorum.

Coroll. XIX. Nec iniqua quoque poſtulatio eſt, vt ſub extremum vitæ eo liceat vti Confeſſario; quem ipſi ſibi delegerint; nō quem Iudices obtruſerint. Indigna res mihi viſa eſt, ne Sacerdoti quidem eam confitēdi libertatē nuper eſſe conceſsā. An exiſtimamus aūt hæc ſūmis Chriſtianitatis capitib. eſſe nota?

Coroll. XX. Vt nec & iſta iniqua petitio eſt, vt ſi forte contingat integerrimæ ſemper vitæ & famæ Sacerdotem inique & maleuole circumuentum & captum, miraculoſe ex vinculis & carcere expediri, liceat ei in Imperio Germanico Apologiam ſuam ty-

 pis

Digitized by Google

pis excudere, & qualiter ſecum actum ſit eatenus explicare, vt niſi omnia per legitimos teſtes probare poſſit quæ afferat, ſiſtat ſe Sacratiſſimo Cæſari, iterum in carcerem & mortem recta profecturus.

## DVBIVM XIX.

### *An de captis nomine Veneficij mox præſumendum ſit eas neceſſario reas eſſe?*

STulta quæſtio videtur; & eſſet ſane, ni quorundam, quod nollem dicere liceret, Sacerdotum ſeu ſimplicitas ſeu zelus, (ego inſcitiam, imprudentiam, & defectum iudicij interpretari ſoleo) quærendi neceſſitatem mihi imponeret. Audio enim eſſe, qui cum carceres inuiſunt, ita afflictiſſimas cuſtodias adoriuntur, inſtant, vrgent, vexant, & ad fatendum crimen ſollicitant, vt iudicari aliud non poſſit, quam quod plane apud animum ſuum obfirmatum habeant, nullam penitus earum innocentem eſſe poſſe.

Interim quicquid ſe miſeræ illæ plangant, quicquid loqui, explicare cauſam, de-

deducere fundamenta ſuæ infamationis paratæ ſint, quicquid poſtulent audiri ſaltem, ac velut cum homine ſpirituali confidentius ſine arbitris conferre, conſilium rogare, conſolationem aliquam in multiplicibus moleſtiis accipere, & quæ ſimilia afflicti homines deſiderare ſolent, non inueniunt niſi ſtatuas ſurdas, & hoc vnicum animatas, quod perpetuo eis veneficij crimen in oculos impingant, ac tanquam omnino reas, non ſat honeſtis titulis exornent: vocitant enim obſtinatas, peruicaces, putidas meretrices, obſeſſas, diabolicæ frontis, mutos bufones, mancipia gehennæ, &c.

Quo accedit quod iidem apud Iudices, cuſtodes carcerum, lictores, aliosve, nihil aliud ingeminent quam perpetuas inſtigationes ad acriter eas examinandas & torquendas: hanc & illam ſingulariter videri pertinacem, non eſſe dubium vllum quin Dęmon earum fauces obſideat, aſpectu eſſe diabolico, non dubitare ſe vitam interponere quin vere Sagæ ſint, & quæ aliæ ſunt id genus

voces intemperanter iactatæ; ſic vt etiam auditæ ſint nonnunquam captiuæ dixiſſe (imo quid nonnunquam? frequẽtiſſimæ hæ ſunt plurimarum voces) malle ſe ipſum adeo Carnificem quam eiuſmodi Sacerdotem admittere; plus eum ſibi moleſtiæ vna ſua importunitate quam lictorem omnibus tormentis intuliſſe; nec modicum è contrario gauiſæ ſint iudiciales perſonæ ſe talem deniq; eſſe nactos ſpiritualium Præſidem, qui nõ modo caſtigaret ac formaret iudiciorũ zelum, ſed & inſigniter acueret. Sacerdotes tales ego aliquot & vidi & audiui, plures eſſe ex eo cõſtat, quod audio Inquiſitores, ſi qui alij ſunt modeſti & circumſpecti, dictitare eos in rem ſuam non eſſe: tum vero quales deſcripſimus impetuoſos & imperitos qui pręter ventum quo ſe iactent nihil habent, ſtipendio vel eleemoſyna mercari, aut eſca ſaltem ac potione deuincire. Quam circa rem, vt mentem meam aperiam, dicam ad propoſitam quæſtionem quod res erit. Itaque

RESPONDEO, De captis mox præſu-

ſumere quaſi ſimpliciter nocentes ſint, ac proinde ea facere quæ iam dicta ſunt à quibuſdam Sacerdotibus fieri, nimis quã intolerandũ eſt. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Supra oſtendi nonnullas innocentes de facto cum nocentibus interimi, non igitur omnes captæ continuo nocentes ſunt, non igitur obſtinate id præſumendum, non igitur quaſi ſint opportunius vrgendæ, & omni penitus audientia excludendæ: promant ſi quid volunt: ſpiritualis viri eſt auſcultare & inſtruere, ac ſeu nocentes ſint, ſeu innocentes, ſpirituali conſolatione & auxilio omnibus adeſſe.

RATIO II. Non eſſe certum quod vtqueque capta eſt mox vere nocens ſit, ipſi Iudices pręſupponunt. Ideo enim ad tormenta ſeu quæſtiones procedunt, quia nondum liquet: ſi liqueret, non liceręt ad torturam ire, vt infra dicam Dub. 39.

RATIO III. Docent omnes Theologi & Iuriſperiti, cum res nondum liquet, præſumendum in partem meliorem: id enim poſtulare legem charitatis

& iuris, prout ipſi fuſe perſequuntur. Vnde caute ſtatuerunt Honorius & Theodoſius AA. cum aiunt: *Seruari iubemus, vt quicunque in diſcrimen capitis acerſitur, non ſtatim reus qui accuſari potuit exiſtimetur, ne ſubiectam innocentiam feriamus*, leg. 17. C. de accuſationib. Simplicitas eſt quorundam Idiotarum, putare ſic religioſa eſſe omnia acta & Iudicia publica, vt non ſæpe publice grauiter erretur: placent verba cuiuſdam Commentatoris in Euangelia quæ hodie legebam circa vincula Ioannis Baptiſtæ, & ſic habent: *Non continuo malus eſt, qui in publica vincula coniicitur ac detinetur, cum in his fuerint integerrimi ſæpe viri propter falſas accuſationes &c. Magiſtratus & huius mundi Principes ſæpenumero ſua abutuntur potentia.* Sic ibi.

Ratio IV. Non decet Sacerdotem niſi manſuetudo & mititas Chriſtiana, quibus aperte repugnãt omnia illa quæ ante de imprudentibus quibuſdam memorata ſunt, vti cuilibet ea examinanti facile apparebit: nolumus n. exaggerare quę potius à vulgi oculis tegi oportebat.

Ra-

Digitized by Google

Ratio V. Eſto etiam vere nocentes ſint quas huiuſmodi aliquis Sacerdos prædicta ratione exercet; id tamen ipſi non certo conſtat: quin imo ſi conſtaret, adhuc tamen ne ſic quidem importuna illa vexatio ſatis deceret aut conduceret: redderentur potius obſtinatiores, quam ſi benignitate & ſuauitate quadam agendi Eccleſiaſticis perſonis propria ad veritatem incitarentur: quaſi via ad agnitionem criminis perduci nequeunt, quid tum poſtea? patientia vſurpanda eſt; fecimus quod ſaluo decoro & conſcientia fieri potuit. Quanquam id inficias non eo, cum benigniora media fruſtra tentata ſunt, prodeſſe quoque ſubinde, & in quibuſdam, acerbiores increpationes; ſed ita tamen, vt identidem ad paternam quandam facilitatem redeatur, qua id agere videamur, vt ipſis ac ſaluti earum pie ſincereq́; magna cum charitate conſulamus, non vt eas quaſi per vim reas facere velimus.

Ratio VI. Si vero innocens ſit aliqua (vt ſane multæ eſſe poſſunt) in quam



Digitized by Google

monitor tam pertinacis imperitiæ incurrat, quid ei fiat propius, quam vt in deſperationem decidat, aut lethalem animi mœrorem? quippe quæ ab omnibus deſerta, quam aliquam adhuc in ſpirituali patre conſolationis ſpem repertum iri exiſtimauerat, ab hac etiam excidiſſe ſe animaduertat. Sane quidem, quæ ſuſpiria, quos gemitus ea res nonnullis conciuerit, non mentiar, ſi mihi notum eſſe dicam. Videt Deus, & requiret, non ab iis ſolum qui hanc rem ipſi peccant, ſed qui indiſcretos eiuſmodi in prouinciam periculoſam mittunt. Id quod hac de cauſa moneo; quia nonnullibi obſeruatum eſt, à quibuſdam Ordinibus religioſis eos Sacerdotes in hanc rem expoſitos fuiſſe, qui vel à defectu iudicij, vel importunitate agendi, vel perſuaſione ſcientiæ cum inſcitia coniuncta, vel in his omnibus ſimul inſignes domi ſuæ haberentur; vt neceſſum deinde fuerit ob hominum querelas alios peritiores & diſcretiores emittere.

Ratio VII. Verendum eſt, ne cum



Digitized by Google

Ita imprudenter cum reis agitur, multę deinde committantur ſacrilegę confeſſiones, atque animarum ſalus in diſcrimen deducatur.

Narrabo quod de Sacerdote quodam mihi conſtat, qui non multo pauciores quam ducentas Magię poſtulatas ad rogum comitauerat. Is eas in carcere auditurus confitentes, rogare ſolebat ante confeſſionem, num etiam in ipſa de crimine illo confiteri vellent, prout in tortura apud Iudicem feciſſent? ſe ſimpliciter non auditurum quæ ſe ream facturæ non eſſet. Itaque ſi quæ ante confeſſionem non continuo promitterent, ſed hærerent, & in genere ſolum dicerent, ſe in confeſſione veritatem dicturas, omnino à ſe repudiabat, cum addito: vt igitur more canum morerentur ſine pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis. Vnde factum, vt nulla non ſeu nocens eſſet ſeu innocens, ni rurſum ſubiici tormentis, aut inſtar canum, vt dicebat, mori vellet, cogeretur ſe ream in Sacramento facere, & ſic plecti. Nuperrime id clariſſimus Iuris

Doctor in menſa publica referebat in laudem eius Sacerdotis tanquam inſigne eliciendæ veritatis ſtratagema. Ego autem admirabundus ingenti cruce me ſignabam, & ingemiſcebam: tanto amplius, quod Doctor hic Inquiſitor eſſet in Sagarum cauſis, cui is Sacerdos pro Sagarum Confeſſario adiunctus erat: dignum quippe patella operculum. Itaque ſtimulante curioſitate ipſe deinde carceres acceſſi, obſeruaturus an ſic eſſet: Dicere non expedit quæ tunc deprehendi.

Memini enim ſententiæ quam alicubi Tannerus citat ex Eccleſiaſtę ca.4.v.1. *Verti me ad alia & vidi calumnias quæ ſub Sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos: & laudaui magis mortuos quam viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub Sole fiunt.* Porro ſtratagema hoc iam memoratum, ſunt & religioſi quidam alij qui nuper imitari auſi ſunt. Vt neſciam quid ſentiendum ſit de Religioſorum

Su-

Digitized by Google

Superioribus, qua conſcientia ad hæc non attendant?

RATIO VIII. Nimis incauta dicta ſunt, & minime Sacerdotem decent vltima illa, quæ item memorabam: *hanc & illam ſingulariter videri pertinacem; non eſſe dubium vllum quin Dæmon earum fauces obſideat; aſpectu eſſe Diabolico; non dubitare vitam interponere quin vere Sagæ ſint.* Si de triuio quiſpiam ſic loquatur, reprehendi debeat; quanto magis Sacerdos, quem timere par eſt ne his ac ſimilibus cauſa ſit reis grauium tormentorum & mortis, ideoq; irregularitatis cenſuram incurrat? Quanquam quid Irregularitas ſit, & quo modo contrahatur, imperiti huiuſmodi non norunt. Audiebam nuper de Sacerdote quodam, etiam, ſi diis placet, vt ſibi videbatur, non parum docto; ſolere inſtigare Iudices, vt has illas (*in particulari*) caperent, torquerent: tum & ne annis certorum quorundam puerorum parceretur monere; videri hunc & illum capacem eſſe ſupplicij; plecterentur ſine ſcrupulo; non eſſe quod emendatio ſperaretur: iuuare

et-

etiam ſtrenue in complicibus expiſcandis, quas & ipſe in pugillares ſuos excipiebat; aſſiſtere item torturis, inſtruere, ſuggerere argumenta, quibus culpam amplius deprehenderent, & ſimilia complura, quæ iam pene exciderunt. Quid hic autem de Irregularitate ſtuduiſſe potuit? Vnde mirum non erat, ſi tam inſignem adiutorem mire Inquiſitores, ipſi æque periti, ſuſpicerent, & mirarentur tanquam hominem de cœlo ſibi allapſum, qui ipſiſſimam agendi praxin ſolus combibiſſet ad omnium Theologorum ſpeculantium inuidiam. Quæ hæc autem miſeria & inſcitia noſtrorum temporum! aut quid iuuet literas vidiſſe, ſi hic ignorantiæ eſt honos? Legant Confeſſarij quę infra quoque dicam dub. 30. vbi eos inſtruo.

## DVBIVM XX.

*Quid de Tormentis ſeu quæſtionibus ſentiendum? An periculum morale & frequens innocentibus inducant?*

RESPONDEO, Ea eſt vt plurimum con-

conditio torturæ, vt cum vltro citroq́; quæ id genus vidi, legi, & audiui, apud me memoria peruoluo, decernere non poſſim aliud, quam quod frequens & morale periculum innocentibus inducat, & Germaniam noſtram impleat Sagis ac ſceleribus inauditis: nec Germaniam ſolum, ſed quamcunque aliam nationem, quæ idem experiri incipiat. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Tormenta paſſim vſitata natura ſua ingentia ſunt, & dolores cauſant ſupra modum acerbos: hæc autem maximorum dolorum natura eſt, vt dum eos declinare liceat, non vereamur vel in ipſam mortem incurrere: periculum igitur eſt, ne non multæ, vt ſe cruciatibus equulei expediant, fateantur crimen quod non habent, ac quæuis de ſe ſcelera mentiantur quæcunque vel ſuggerunt quæſitores, vel ipſi rei vt fateantur meditati antea ſunt.

RATIO II. Id adeo verum eſt, vt robuſtiſſimi quidam, qui grauiſſimorum ſcelerum cauſa in tormentis pependerant, ſanctè mihi affirmarint, nullum

tan-

Digitized by Google

tantum excogitari poſſe crimen, quod non promptiſſime ſibi impoſituri fuiſſent, ſi eius confeſſione tantiſper ſe tanto cruciatu excipere licuiſſet: quin imo antequam reduci ſe eodem paterentur potius in denas mortes rectis pedibus inſulturos eſſe. Quod ſi inueniuntur alij, qui diſcerpi potius quam ſilentium ſoluere in equuleo malint (vt de Ægyptiis memorat Ælianus in Hiſtoria varia lib. 7. cap. 8.) ij & rari ſane hodie ſunt, & ſubinde non bonis artibus aduerſus omnem doloris ſenſum muniti: Vnde non immerito lex 1. ff. de quæſtionibus Torturam appellat rem fragilem & periculoſam; ſic enim loquitur: *Quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam Conſtitutionibus declaratur: Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia ſiue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, vt exprimi eis veritas nullo modo poſſit. Alij tanta ſunt impatientia, vt quiduis mentiri quam pati tormenta velint: ita fit, vt etiam vario modo fateantur, & non tantum ſe, verum etiam alios comminentur.*



Digitized by Google

Hinc & Cicero in partitionibus: *Dolorem fugientes*, inquit, *multi in tormentis ementiti perſæpe ſunt, moriq́; maluerunt falſum fatendo, quam inficiando dolere*: Et idem pro Sylla non magis oratorie quam vere: *Quæſtiones nobis ſeruorum ac tormenta minitantur; in quibus quanquam nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque tum animi tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rebus & anguſtiis nihil veritati loci relinquatur, &c.*

Ratio III. Atque vt magis innoteſcat vel tormentorum magnitudo, vel impatientia nonnullorum, hoc exemplum eſto: ſcient Confeſſarij, qui experientiam aliquam habent, reperiri nonnullos, qui vbi falſo quoſpiam in tormentis detulere; poſt autem in pœnitentiæ ſacramento intelligunt non poſſe à peccatis abſolui, niſi quos falſa accuſatione in vitæ diſcrimen coniecere, rurſus eripiant; excipere ſolere, id ſe facere non poſſe, quod timeant, ne ſi canant palinodiam, rurſum in quæſtiones

repe-

repetantur: Ad quod ſi inſtet Confeſſarius, nihilominus non poſſe innocentes in culpa relinqui ſub pœna damnationis; reperiundam aliquam eſſe viam qua delatæ iuuentur, reſpondere non raro; ſe vero quauis ratione innocentiæ eorum conſulere paratos eſſe, ſed ni aliter queant quam cum periculo redeundi in quæſtionem, non poſſe neque velle, ne quidem ſi de ſalute ſit actum. Ex quo igitur infero in hunc modũ: ſi nonnullis ita grauis ac intolerabilis tortura eſt, vt damnari potius quam torqueri ſuſtineant, quis neget prudenter & cum ratione credi poſſe quod diximus: nimirum torturas has non leue ſecum trahere periculum, ne, ſi non ſerio occurratur, nocentum numerum innocentes exaggerent.

Ratio IV. Ego de me fateor, tam minime tantis pœnis exhauriendis ſubſiſtere, vt ſi in quæſtiones abriperer, non non dubitarem mox ipſo initio reum me cuiuſcunque maleficij ſtatuere, & mortem potius quam tantos cruciatus amplecti: prẹſertim cum (vt ſuppono ex com-

communiori Theologorum ſententia) non peccet mortaliter, qui ſe reum facit vi tormentorum adactus. Idem audiui de ſe dicentes, viros non paucos, admodum religioſos, & alioqui laudatiſſimæ conſtantiæ ac fortitudinis inſignis; qui conſcij ſibi communis fragilitatis & acerbitatis huiuſcemodi pœnarum; non audebant de ſe niſi humana omnia promittere. Vt ſane imprudentiæ arceſſi non debeam; ſi metuere me dicam, ne vbi in imbelles fœminas quęſtiones exercentur, falſiſſimas confeſſiones exprimat torturæ vis, atque ita in periculum & pœnas innocentes iuxta ac nocentes vocentur. Lege hic, & conſidera quæ infra in Appendice dicuntur.

Ratio V. Auget vero periculum in negotio Sagarum, conditio ipſius ſexus. Quis neſcit quam animal ſit imbecillum mulier, quam impatiens dolorum, quam promptum lingua? quod ſi ne viri quidem, vt iam diximus, etiam religioſi, ita animo valent, quin mortem quam tormenta malint; quid



Digitized by Google

de fragili illo ſexu præſumendum erit?

Ratio VI. Auget item periculum, quod leuiſſimis vt mihi quidem videtur de cauſis, certe viro cordato indignis, tortura decernatur: vt ex fama ſola, aut ex denunciationibus, aut vtroque; cum neutrum quicquam merito habere momenti debeat, vt infra ſuo loco oſtendam, Dub. 34. & Dub. 44. & ſeqq.

Ratio VII. Auget item periculum, quod in crimine hoc Sagarum acerbiora fere tormenta vſurpantur quam in aliis, quodq; vt his diebus audiebam, nõnullibi leuiora putãt eſſe quæ hactenus in vſu ſunt, proindeq; noua cogitant: quod tamen nec in atrociſſimis debere fieri docet Farinacius lib. 1. Tit. 5. q. 38. nu. 57. ex communi ſententia: Eſt enim res digna Phalaride quopiam aut Perillo non homine Chriſtiano, vt rectiſſime notat Petrus Gregorius Toloſanus ſynt. lib. 48. cap. 12. nu. 25. & Iulius Clarus lib. 5. Brunus & alij. Nam ſi quæ hactenus ſeruamus, adeo periculoſa ſunt, vt dixi, quid fiet, ſi ſæuitiam nouis commentis in-

Digitized by Google

intendimus? Et tamen hodie Magiſtratus etiam Eccleſiaſtici hæc ſuis Officialibus permittunt.

Ratio VIII. Auget item periculum, quod non ſolum, vt iam dixi, acerbiora fere tormenta in hoc crimine vſurpantur; ſed quod præterea quantumcunq; hic excedatur ſeu in modo ſeu tempore, nemo tamen ſibi vllum faciat conſcientiæ ſcrupulum. Vt mirum ſit in omni alio peccatorum genere eſſe qui ſe accuſent in foro pœnitentiæ, ſed hic plane eſſe neminem vel pœnitentium qui accuſet, vel confeſſorum qui roget: cum tamen annexa hic ſit reſtitutionis & ſatisfactionis obligatio. Itaque mihi conſtat enormioribus torturis multos eſſe mortuos, multos etiam in omnem vitam inutiles redditos, multos ita laniatos & ſciſſos, vt cum capite plectendi eſſent, non auſus fuerit lictor pro more humeros nudare, ne crudeli ſpectaculo populum concitaret: quoſdam in ipſa adhuc ad ſupplicium via expediri debuiſſe, ne antequam peruenirent, mortui conciderent, &c. Nemo tamen

adhuc erit qui conſcientiam pacatiſſimam non gerat, aut tantillum ſe exiſtimet in conſcientia ad ſatisfactionem teneri.

Iam vt dicam de tempore; ſane quidem grauiſſimus eſt torturæ dolor, ſi vel dimidium quadrantem, imo hunc dimidium ſolum duret; quid erit ſi per quadrantem? quid ſi per duos quadrantes? quid ſi per horam? Ac licet proinde Paulus III. Pontifex in Bulla quadam quę continetur in Bullario, 1. par. fol. 471 prohibuerit, reum detineri in Tortura per longum ſpatium, vt vnius horæ: nunc tamen mitiſſimi Iudices (nam de ſeuerioribus ne loqui quidem lubet) tam minime hic peccare hodie timent, vt ad horam vnam vel duas dimidias torquere plane ſolenne fecerint, adeo vt inſufficiens nominetur quæ id tempus non expleuerit, vt infra dicam Dub. 23.

Quis hic ſubſiſtet? quis non mori malit, & vel ſexcentis mendaciis tantas pœnas redimere? Quod ſi aliquæ adhuc id tempus ſilentio tranſmittunt, nec

men-

mentiuntur, cauſa ſubeſt paucis cogitata, ſed vt experientia multa didici veriſſima, & notanda. Pleræque enim omnes apprehẽſam hanc opinionem habent, mortaliter peccare ac ſaluari nullatenus poſſe, qui tantum ſcelus quantum eſt Magia, in ſe innocens ſuſceperit: ideoq́; ne in animam ſuam ſic grauiter peccent, aduerſus intolerabiles pœnas totis viribus luctantur; quibus tamen tandem vel ſic quoque, cum extremam patientiam conſumpſerint, ſuccumbunt: ac tum demum quod exiſtiment iam vtique de æterna ſua ſalute eſſe actum, incredibile dictu eſt quanto mœrore in carcere ſe conficiant, atque etiam ſubinde deſperationi ſe tradant, ſi nullum inueniant qui erigat & erudiat. Cęterum quæ licere ſibi putant cogentibus tormentis falſo crimini ſe ſubmittere, non ſuſtinent ſane tantas pœnas, ſed maturius occurrunt, & quælibet in ſe mentiuntur. Scio quid loquar & Confeſſarios omnes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtor, eos ſe ſe præbeant ſpirituales viros, humiles, mites,

 pru-

prudentes, & ſimplices, quales ſuos debere omnes eſſe legifer noſter dixit: deprehendent plurima quæ hactenus ignorant. Vnde &, quod multis nunc indies contingit, cohibebunt paulatim impetus ſuos, & correctiore oculo notare incipient quam non temere ſuſpicari voluerim, ne non plurimus in Germania ſanguis innocens ſit fuſus.

RATIO IX. Auget item periculum, quod etſi acerbiſſimæ torturæ ſunt, tamen neque Iudices quidem neque alij multi eam acerbitatem apprehendunt. Non apprehendere autem colligo ex quadam valde ipſis vſitata phraſi, cum dicũt, aliquas ſe reas eſſe faſſas ſine tortura. Nam ita egomet his meis auribus non ſemel & Iudices & vero etiam Sacerdotes audiui affirmantes, atque inde probantes eas igitur ſine vllo dubio nocentes eſſe. Mirum eſt quo tandem loquẽdi licentia egrediatur: cum enim quærere deinde inſtitui, nũ ſic haberet; intellexi eas omnino tortas fuiſſe; ſed tantum prelo quodã ferreo & lato, cuius lamina anterior acutis ſtriis ſulcata cum

ob

ob tibias, vbi acutiſſimus eſt ſenſus, vehementius vrgetur, ac caro, exſiliente vtrinq; ſanguine, inſtar placentæ comprimitur, is neceſſario exiſtit dolor, quẽ etiam robuſtiſſimi quique viri intolerabilem ſibi viſum eſſe dicunt: Et hoc tamen iſti affirmabant eſſe fateri ſine tortura: hoc ſpargunt apud vulgum, hoc ſcribunt ad Principes; non eſſe quod de crimine Sagarum dubitent, cum & vltro plurimæ ſine tortura fateantur. Et quid igitur illi apprehendunt qui hos dolores non apprehendunt? quid iudicant & reſoluunt conſulti Doctores, qui nondum Inquiſitorum idioma ſeu phraſes intelligunt? Vbi iam autem quod docent omnes Criminaliſtę, vel ipſum metum torturæ æquiualere torturæ, ac proinde neque hunc ſine magnis indiciis poſſe incuti? Quod ſi eo hodie ventum eſt, vt nec ipſa tortura, tortura ſit, quid metus torturæ erit?

Ratio X. Auget item periculum, quod expromimus hodie tormenta in quoſuis ſine diſcrimine. Qua in re vereor, vt ſeueritate ipſos ethnicos vi-

 dea-

deamur anteire velle, qui tamen olim, & atrociſſimis, continuisq; bellis, & crudeliſſimis gladiatorum ſpectaculis, truculentiam ſuam indies de induſtria acuebant. Nam apud eos quidem non niſi ſoli ſerui tormentis rogabantur, illorum hæc pœna tantum erat: & qui illi autem ſerui erant? qui nequam? lege comicos, Terentium, Plautum, Poetas cæteros, inuenies fuiſſe quendam quaſi omnis inſignitæ improbitatis florem, nequitiæ ſpumam; mendaciorum architectos, falſarios, periuros; ad fraudes & omne ſcelus ab vnguiculis eruditos; non niſi meriſſima verberum, neruorum, flagellorum, fuſtium mancipia, ad omnem cuiuſuis doloris patientiam aſſuefacta. In hos igitur duntaxat, tam acerbas quæſtiones exercebant, iam ante de nequitia notos; in quibus etiamſi erratum fuiſſet, facilior iactura erat; cum pene ante mortem meriti eſſent: non in cæteros incognitæ adhuc duritiei & nequitiæ; quippe quos merito formidabant nimis facile etiam contra veritatem dolori ceſſuros. Sed nos modo

do poſt Chriſti legem paulo mitiores facti, transferimus eas in quoſcunque nulla nondum ſimili improbitate, & dolorum vſu, ac ſufferentia notos.

RATIO XI. Auget item periculum, nequitia & libertas nimia carnificum. Putaram ego eam eſſe oportere iudiciorum ſanctitatem & religionem, vt lictoribus ne quidem verbulum mutire liceret, ſed ea tantum ſimpliciter exequi quæ iuberentur: nunc ij quibuſdam locis dominari mihi viſi ſunt, & pro ſua libidine torquendi modum definire. Ipſi vrgent, inſtant, rogant: verbis ſtimulant pendentes, intentant terribiles minas atroci voce ni fateantur; exacerbāt etiam tormenta, atque adeo intendunt vt impoſſibile ſit tolerare. Hinc laudes quorundam lictorum & prærogatiuæ memorantur, quod nemo vnus reus ſub ipſis vocem non ruperit: & tales accerſuntur cum alij defecere; ij palmam ferunt. Quos ſane etſi neque auiditas lucri, neque innata ſæuitia extra metam rapere poſſe crederetur, nihilo adhuc tamen minus ob ſolam qua laborant



Digitized by Google

infamiam à quacunque agendi & loquendi libertate prohiberi oportuerat.

Ratio XII. Auget item periculum, quorundam Quæſitorum ſeu Iudicum qui tormẽtis præſunt laxa conſcientia, imo intolerãda iniquitas. Serio cauent iura, ne de quoquam complice ſeu criminis conſorte nominatim quis in tormentis interrogari debeat, verba ſunt leg. 1. ff. de Quæſtionib. *Qui quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare an Lucius Titius homicidium fecerit, ſed generaliter quis id fecerit? Alterum enim magis ſuggerentis quam requirentis videtur, & ita Diuus Traianus reſcripſit.* Idem cautum eſt in Conſtitutione pœnali Carolina artic. 13. ac nemini non recta ratio ſic dictat, quam & lex tangit, ideoq; & ad crimina Excepta tranſit. Nihilominus non deſunt hoc tempore, qui contrarium audeant, & velut in os indant reis quas accuſent. Inſero pro exemplo quod ſequitur: Anni ſunt aliquot, cum in loco quodam Germaniæ, vbi multa ac ſeuera in Sagas animaduerſio erat, colloqui

ſic

Digitized by Google

ſic caſu cœpi cum viro graui, cana & promiſſa barba, locoq́; inter ſuos honeſto. Loquebamur autem de Sagarum ſuppliciis, earumq́; tum ingenti frequentia; quam quod ego admirari me dicerem, ingemiſcens ille: Nouerit, inquit, qui humana omnia tuetur, Deus, an & omnes, quæ nunc quidem pœnæ, culpæ etiam conſortes ſint. Nam & ipſe ego anno ſuperiore iudiciis aſſedi: Sed, vt denique me inde deducerem, conſcientia perſuaſit: neque enim ferre admodum, neque impedire poteram auſteritatem Iudicis. Ad quod ego: & quæ illa inquam auſteritas erat? ea, inquit ipſe, quam in quæſtionibus adhibebat: Pendentibus enim reis & de ſe confeſſis, cum de aliis quoque rogarentur, atque illæ autem conſtantiſſime negarent, aliam ſe vllam noſſe, tum ipſe: an non igitur & Titiam tu noſti, inquit? an non in tripudiis vidiſti? ad quod ſi auſa quę eſſet reſpondere, ſe vero nihil penitus de ea mali ſcire; tum ille mox ad carnificem conuerſus; Trahe, inquit lictor, tende fidiculas.

Quo

Quo trahente, cum illa obruta dolore exclamaret, imo, imo, remitte lictor, noui, noui Titiam & vidi, non negabo, referebatur denunciatio hæc in acta; ac deinde mox eodem modo de Sempronia quoque rogitabat; de qua ſi item initio negaretur, monebat propere lictorem vt attraheret, dum & Sempronia eſſe rea diceretur; atque ita conſequenter de aliis, donec minimum tres aut quatuor cuiuis quantumuis reluctanti exſculpſiſſet. Neſcio quid dicam: hæc tamen mihi ſenex ille vt veriſſima referebat. Iudicet nunc Lector, ſi ita agitur, vnde tantus ſit nobis in Germania numerus Sagarum: Iudicet quam abſurde & imperite cenſeam morale & frequens periculum innocentibus per tormenta ſuperduci? Væ autem iterum Principibus qui in Sagas acriter inquiri volunt, nec maiore diligentia Iudiciis proſpiciunt! Vix hæc ſcripſeram cum ſuperuenit amicus quidam meus; cui cum ſciſcitanti quid meditarer, repeterem quod ſcripſi, intuens me ille ac non modeſte arridẽs: quin tu, inquit, exemplum

plum hoc quod narras quantocyus expungis? non opus iam exemplis eſt in re quotidiana & tam vulgari : non hoc vnus ille Iudex quem dixiſti, ſed plures hodie faciunt: eſt hęc praxis admodum vſitata & frequens: ipſe interfui, vidi, atque his auribus audiui. Adeo vt in loco quodam nuper cum Iuriſperiti eo coegiſſent Inquiſitorem in illis partibus ſęquientem, vt ne ibi in vllum complicem nominatim inquireret, nec an in hac, aut iſta domo aut platea, aut tribu quis nocens eſſet ; non parum triumpharint, tanquam optime de popularibus ſuis meriti : cum in aliis locis, vbi contradictores non inueniret, eo quo dixi modo ſæuire pergeret.

Quid hic dicam? væ iterum Principibus. Poteſtne autem ſine graui admodum culpa ignorare hæc is, qui vel maxime ſcire debet, cum & ego non neſciam cui neſcire licuit? Sed quid volumus? Conſiliarij eorum & Confeſſarij tacent, æque omnium quæ geruntur neſcij ; vnde nec conſcientiam ſuam nec alienam mouent.

Ita-

Digitized by Google

Itaque, vt deinde ipſe quoque obſeruare cœpi, communis hæc eſt multorum Quæſitorum praxis, vt ſeu circa complices, ſeu circa ſcelera admiſſa, ſeu circa loca & tempora tripudiorum, ſeu circa alias circumſtantias quaſcunque, nominatim aut quaſi nominatim in os indant reis quid reſpondeant: quæ omnia cum ſic pluribus eadem ſuggeſſerint, mirifice deinde venditant apud Principes aliosve, quod tam multæ in iiſdem plane punctis accurate conuenerint. Quæ hæc autem cæcitas Germaniæ eſt? An exiſtimant Magiſtratus, ſe abſque grauiſſimis peccatis diſſimulare hæc delicta Quæſitorum tam periculoſa innocentibus poſſe? Et tamen nuper Prælatus quidam Eccleſiæ non diſſimilem quærendi modum approbabat; dum annueret non ſibi diſplicere, quod maleuolus Inquiſitor quiſpiam mulierculas ſuas rogitaſſet, nullum ne etiam Parochum ſeu Eccleſiaſticum in conuentibus vidiſſent? Præclara ſane ratio! quaſi non hac via quiuis tandem hominum ordo

in

Digitized by Google

in periculũ deduci ſuggeſtione poſſit? vt profectò egregie deinde vir magnus cum hæc audiuiſſet, ita reſponderit: Diceretur Prælato illi, rogandas potius mulierculas videri, nunquid viſi quoque ſint Eccleſiæ Prælati? & ſi negent tam diu cædendas eſſe, dum affirment &c. quippe cum non minus eorum aliquem, quam quemuis alium nominaturæ ſint, ſi modo nec Quæſitor ſuggeſtione, nec lictor fidiculis parcat. Et huiuſmodi Doctores Principes conſulunt, horum ſpiritus & imperitiam Reſpublica pati debet. Prudenter verò prouidit Princeps ille, qui nuper Inquiſitori cuidam ſuo expreſſe reſcripſit, nè de Eccleſiaſticis vel in genere vel in ſpecie dicto modo rogaret. Doleo tamen non parum, quod ignoret, id eum Inquiſitorem ex eo tempore minime obſeruare: ſic enim exiſtimo, in his cauſis tanti momenti non ſatisfacere conſcientiæ ſuæ Principem, ſi quid rectè mandet; niſi etiam ad executionem eorum quæ recte mandata ſunt, aduigilet. Qua in re, ſi etiã pientiſſimus Princeps In-

Inquiſitori ſæculari addat non neminem virum Eccleſiaſticum, qui cum auctoritate attendat, ne quid incautius in eum ordinem impingatur. Videndum id ſane erit, quod multos audio vociferantes, ne is vel cognatione, vel & moribus ac truculentia ſæculari Iudici iungatur, quiq; vel ſuperbus eſſe audiat, vel auarus, vel imperitus. Præſtet fortaſſe Syndicos habere occultos, vti ſupra dixi Dub. 9. rat. 8. Interim non parum placet ingenioſum illius Inquiſitoris inuentum, de quo nuper audiebam, cum in loco quodam capere & torquere incepiſſet, primum omnium rogauiſſe, num qui ê Senatu in conuentibus comparuiſſent? vt videlicet primoribus illius loci primum ſublatis, tanto deinde facilius in cæterum gregem laniенam immitteret.

Ratio XIII. Auget item periculum, quod in iam dicta ſuggerendi induſtria non modo Quæſitores verſati ſint, verum etiam ipſi adeo lictores egregie profecerint, tanto maiore artis ſucceſſu, quanto minus id notum Inquiſitoribus

bus eſt, ſi tamen ſemper eſt ignotum: Nam lictores quidam, cum reas ſimpliciores ad tormenta præparant, prius inſtruunt quas audacter complices edicant: aiunt talem & talem ter quater &c. denunciatam ab aliis eſſe, caueant ne tergiuerſentur & denunciare detrectent; de quibus tamen iam ſatis conſtet; & quæ nihilominus non euadant: ſequantur conſilium ſuum, ſe clementem eis fore: Hæc illi: ſed & ſuggerunt iniqui nebulones quid alię de ipſis quoque faſſæ ſint, vt diſcant quid de ſe fateri habeant ſi tormentis ſuperentur. Vnde fit, vt cum deinde eadem de ſe fateantur cum iiſdem circumſtantiis quę aliæ de ipſis prius ſunt confeſſę, mirifice triumphent Quæſitores & in protocollis eximie notent, quaſi certiſſimo iam ipſam manibus veritatẽ teneant; quippe quod alioqui ſic exacte congruere accuſatę cum accuſantibus non potuiſſent: nec animaduertunt ingenioſiſſimi homines lictorum fraudem, quam vel ego non nimis miris induſtriis veſtigare potui. Ita qui occultiſſimum, vt vocant,


cant,

Digitized by Google

cant, Sagarum crimen in lucem iactant producere, craſſiſſimam ſuorum lictorum nequitiam latêre patiuntur. Diſcant hinc Principes, quæ vis inſit illi phraſi, cum aiunt: Titiam vltro in eadem puncta incidiſſe, quæ de ipſa aliæ denunciarant.

Ratio XIV. Auget item periculum, quod ſi ſemel vel vnica tantum vere innocens vi tormentorum ſuperata ream ſe criminis ac flammæ fecerit, continuo innumeras quoque alias innocentes in eundem reatum pertrahi neceſſe ſit. Id quod ſic oſtendo: Gaia innocens mentita eſt ſe Sagam eſſe: mox ergo poſtulabitur ſocias vt prodat: ſi habuiſſe neget, fides abnuetur, tolletur in quæſtionem, in qua ſi ſeſemet ante ſeruare non potuit, nec deinde alias ſeruabit: *Facile enim,* vt ait Paulus Iuris Conſultus lib. 5. ſent. tit. 12. *alienam ſalutem in dubium deducet, qui de ſua deſperauit.* Accuſabit igitur quas neſcit, atque eas inprimis quas meminerit infames audiuiſſe: quas proinde, ſi vt fieri non ſemel vidi, ob vnam hanc denunciatio-

nem

nem cum infamia coniunctam in carcerem ac tormenta ambulare oportuerit, ac deinde rurſum harum quoq; ſingulæ ſubiectæ pœnis ſuas item complices effari cœperint, quis non videt intra breuiſſimum tempus futurum, vt denunciantium & denunciatarum finis vix ſit inueniendus: præſertim ſi ferocior ſit Iudex, & eorum Autorum ſequatur ſententiam, qui vel vnicam, vel plures aliquot cõplicum denunciationes nullis aliis indiciis comitatas ad torturam, imo & ad condemnationem valere volunt in criminibus Exceptis. Punctum hoc cum attentius cõſidero, non ſemel ad inſignem Germaniæ cæcitatem attremui. Conſideret quoque Lector, & dubitabit non nemo, in tota hac materia Sagarum quid credat, & an omnino quicquam credat. Itaque cogentibus tormentis incredibile dictu eſt, quanta de ſe ipſis, quanta de aliis mentiantur: quicquid tandem verum eſſe tortoribus placuit, id eſt verum: ad omnia annuunt torturæ; & cum deinde reuocare non audeant, morte omnia

obſignantur. Scio quid loquar, & ad Iudicium illud prouoco, quod viui mortuiq; præſtolantur; in quo admiranda patefient, quæ nunc inuoluta tenebris ſunt. Id ex animo pronuncio, neſcire me à multò tempore, quid Authoribus iis, quos antehac proliciente curioſitate lectitare & æſtimare ſolebam, Remigio, Binsfeldio, Delrio, ac cæteris in vlla re fidei poſſim adiungere; cum omnis fere eorum de Sagis doctrina non aliĳ impoſita fundamẽto ſit, quàm vel Narratiunculis quibuſdam, vel Cõfeſſionibus per torturas expreſſis. Nouit DEVS, quot gemitus ex imo corde deductos effuderim, cum hæc mecum etiam noctibus perſæpe vigilans attenderem, nec tamen modus occurreret quo tantiſper ſiſtere liceret opinionum vulgarium torrentem, dum abſque præiudicio & deprauato affectu rem altius repetere hominibus luberet.

RATIO XV. Auget item periculum, quod ſiqua ſemel dolori dedit, vt rea eſſe vellet, iam omnem ſibi viam ad ſalutem occluſerit, nec ſpes vlla reliqua ſit

ſuſce-

Digitized by Google

ſuſcepti ſemel criminis excutiendi. Negotium periculoſum!

Nam ſi poſt tormenta ſe corrigat ac dicat, vi doloris, non veritatis laxaſſe linguam, repetetur in quæſtionem: in qua ſi paulo prius tenere vocem non potuit, nec nunc tenebit, irritato per iterationem pœnæ doloris ſenſu. Ac ſi poſt torturam hanc ſecundam, iterum ſe corrigat; ſane tertiam experietur. Vltra quam etſi negent Autores boni Petrus Gregorius Tholoſanus, Gomezius, Leſſius, Delrius, & alij plurimi ab hoc citati lib.5. ſect.9. procedi oportere, atque ita tum demum reuocationi ad abſolutionem eſſe locum: tamen ne id quidem ſatis iuuerit; cum inprimis vix reperientur quæ nõ mori malint quam ad quæſtionẽ tertiam peruenire; deinde autem & Autores alij ferociores non deſint, qui etiam vltra tertiam vicem in atrocibus criminibus eundum eſſe putent: quorum proinde opinionem ſeueri Iudices ſequentur. Quod ſi vero etiam adductę tandem reæ in ſupplicij locum, cum à tormentis non habent me-

tuere, iam flammas intraturæ, reuocent audacter, quæ ſunt doloris coactione confeſſæ; ne id quidem quicquam habet ad ſalutem momenti. Contemnunt enim Iudices, & ei potius inſiſtunt Confeſſioni, quæ iudicialis fuit in tormentis facta: vt hæc vltima ante mortem reuocatio omnino fruſtra ſuſcipiatur; proindeq; verum maneat quod dixi; præciſam omnem eſſe ſpem correctionis, vbi ſemel in tormentis lapſu linguæ ſuſcepta culpa eſt.

Ratio XVI. Auget item periculum, quod ſi quę è contrario dolori nil dedit vt fateri voluerit, nihilominus nec ſic eripere ſe poſſit, & ab aſperſo crimine purgare. Toties enim ad tormenta reuocabitur, dum ſuccumbat, & vox veniat in poteſtatẽ tam frequentium pœnarum. Erat aliquid, ſi poſt vnam quæſtionis procellam conſtanter eliſam, in tuto ſalutem ſtatuere liceret: Nunc illa repetitio & frequentatio fidicularum, virgarum, facularum, &c. paſſim vſitata, ſpem omnem interficit vnquam emergendi. Qua quidem in re aut vehe-

hementer cum pientiſſimis multis viris deliro, aut videre ſane nequeo, quo tandem modo ſufficienter innocentibus à periculo ſit cautum, quin innumerabiles & perierint hactenus, & inpoſterum perituræ ſint. Rectiſſime nuper religioſus quidam vir, ingenio perſpicaci, cum apud iudiciales quaſdam perſonas de hoc argumento eſſet ſermo, quæſtionem eis hanc ſub finem propoſuit: doceri ſe cupere, quis tandem ille eſſet modus, quo is ſeſe liberaret, qui vere innocens in vincula veniſſet? ad quod cum diu non ſatisfacerent, nec ille tamen premere deſiſteret, id tandem reſponderunt; ſe ea nocte deſuper meditaturos eſſe. Ecce autem hi tales cum iam tot ante pyras incendiſſent, ita adhuc eatenus proceſſerant, vt neque in illum diem modum aſſignare ſufficientem poſſent, quo qui vere innocens fuiſſet, ſe eripere ex eorum manibus potuiſſet. Ego eandem quæſtionem Magiſtratibus Germaniæ propono. Et ſi quis erit qui putet ſe eum modum inueniſſe: iam hoc ipſo oſtendet

neſcire ſe quid geratur; & ſi neſciat, in periculo ſalutis ſuæ eſſe, cum ſcire deberet. Legat igitur quę adhuc deinceps dicemus, & tamen omnia dicere nondum nobis expedit, cum ea tempora ſint quæ non ferant. Et quid miramur ſi omnia ſunt Sagis plena? Miremur inſignem Germaniæ cæcitatem, & ſtuporem etiam peritorum. Sed hi nimirum quieti & lautitiis aſſueti, ac poſt fornacem commentari ſoliti, cum nec ſpeciem quidem vllam doloris cōcęperint animo, non ſecus de reorum tormentis ſentire ac loqui ſolent, ac tam liberaliter ea decernere, quam ſi cæcus de coloribus diſſerat, quorum imaginē non habet. Dici de iis non incongrue poteſt quod habet Scriptura, Amos cap. *6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Qui ſi deinde ipſi, tormentis vel per ſemidimidium quadrantem horę admouerentur, omnem ſubito ſapientiam ſuam & Philoſophiam tam magnificam in terram excuterent: neque enim non plane infantiliter

ter de rebus quas neſciunt, philoſophantur.

Vnde, vt concludam; omnino ſentio cum ornatiſſimo quodam viro & amico meo, qui ſic loqui ſolet lepide & vere: Quid, inquit, tam ſollicite maleficos quærimus? Heus, inquit, Iudices, oſtendam extemplo vbi ſint: Agite, rapite Cappucinos, Ieſuitas, Religioſos omnes & torquete, fatebuntur: ſi qui negant, repetite ter quater, fatebuntur: ſi adhuc obſtinati ſunt, exorciſate, detondete: vtuntur maleficio, obdurat eos Dęmon, vos procedite; tandem dabunt manus. Tum ſi plures vultis, rapite Eccleſiæ Prælatos, Canonicos, Doctores; fatebuntur. Nam quid miſeri illi & delicati, quî ſubſiſtent? Quod ſi adhuc plures vultis; vos ipſos ego torſero, & me vos deinde: non diffitebor quod vos falſi eritis; ſic omnes Magi ſumus. Nam ſcilicet nos ij erimus, qui tot pœnis toties repetitis vocem ſubtrahere poſſimus fortes & conſtantes viri! Sic ille.

Dices, Imo falſum eſt quod de repetitione pœnarum dicitur; neque enim

repeti tormenta leges volunt, niſi noua eaq́; vrgentiſſima indicia afferantur.

Resp. De eo loquor non quod leges volunt, aut quod ratio præſcribit; ſed quod nunc paſſim Iudices vſurpant. Alia in ſpeculatione vera ſunt, alia in re ipſa facto fiunt. Id declarauero, ſi idem argumentum à noua quæſtione latius perſecutus fuero. Quæratur igitur:

## Dvbivm XXI.

### *An accuſata Veneficij ſæpius torqueri poſſit?*

Diſtinguenda quæſtio eſt, vt hæc duo quæri intelligantur:

I. An iterum torqueri poſſit, quæ ſemel torta & confeſſa eſt, poſt autem reuocat confeſſionem?

II. An iterum torqueri poſſit, quæ ſemel torta ſed confeſſa non eſt? dicam de vtroque. Itaque

Respondeo I. Si quæ ſemel torta confeſſa de ſe crimen eſt, poſt autem reuocat, volunt repeti in torturam poſſe, etſi noua indicia non superuenerint:

rint: deq; hac repetitione loqui intelligenda eſt lex 16. ff. de quæſt. cum ſic ait: *Repeti poſſe quæſtionem Diui Fratres reſcripſerunt*. Et ratio eſt, quia inprimis prior confeſſio in tormentis facta, eſt loco ſemiplenæ probationis, & facit Indicium ſufficiens, vt habet Weſenbecius hoc loco: deinde per talem reuocationem indicia priora infirmata non ſunt: denique ſi non poſſet repeti; totum hoc remedium, ait Leſſius, eſſet ſine vllo effectu: nam nemo ratificaret ſuam confeſſionem, ſi putaret in ſe non poſſe amplius quæſtionem exerceri. Atque ita (vt loquitur Marſilius, cuius phraſi delector) furca ſtaret in viduitate, & delicta remanerent impunita. Aduertendum tamen, quod paulo ante monui, non vltra tertiam torturam in actu tam odioſo procedendum eſſe: quod ſentiunt communiter Doctores, vt vide apud Delrium, lib. 5. Sect. 9. & Farinacium quæſt. 38. nu. 96. Vbi Iudices, qui vltra trinam vicem procedunt, vocat carnifices. Ego vero omnino exiſtimo, qui in tortura ſecunda rurſum con-

confeſſus poſt eam rurſus negat, ne quidem ad tertiam reuocãdum ſed dimittendum eſſe. Prohibeat Devs, vt qui comprehenderim quis & quantus ſit torturæ dolor, aliter ſentiam: Vereor ſane, vt omnes illi olim iudicium ſine miſericordia in morte experiantur, qui tam ſæui & immites in iis ſunt pœnis decernendis, quas ſi ſola imaginatione recte expreſſas noſſent, non ſuſtinerent vel bruto animanti inferri, quin compaterentur. Nemo certe omnium Nobilium Germaniæ eſt, qui venaticum ſuum canem ſic laniari perferre poſſet: Vt homo igitur toties laceretur, quis feret?

Respondeo II. Si quæ ſemel torta ſed confeſſa non eſt, non poteſt iterum torqueri, niſi noua rurſum eaq; vrgentiſſima indicia proferantur. Ita Clarus, Menochius, Gregorius, Tholoſanus, Farinacius, Dinus, Albericus, Villabodius, Sylueſter, Azor, Leſſius, & alij communiter Iuriſconſulti ac Theologi. Colligitur autem ex leg. vni. 18. ff. de quæſt. vbi ſic habetur: *Reus euidentioribus*

*bus argumẽtis oppreſſus repeti in quæſtionem poteſt, maxime ſi in tormenta animum corpusq́; durauerit*. Nota verba *argumentis euidentioribus*, vt maiora intelligamus requiri, quam quæ ad quæſtionẽ primam ſuffecere. Vnde recte Delrius lib. 5. ſect. 9 *Nunquam eſt*, inquit, *iteranda tortura, niſi ſuperueniant indicia noua, & diuerſi generis, & prioribus euidentiora, & niſi reus ſit adeo fortis & robuſtus, vt animo & corpore in priora tortura perdurauerit*: Sic ille: omnino ad mentem legis. Et ratio manifeſta eſt, nam indicia priora contra ream allata, quantumuis grauia; per torturam primam ſufficienter eliſa ſunt, eneruata, & deſtructa: vt proinde rea tanquam legitime exculpata, ac purgata abſolui debeat. Imo verior & communior ſententia eſt, per ſufficientem torturam purgari etiam probationes plenas, vt contra nonnullos fuſe docet Proſper, Farinacius Prax. Crim. lib. 1. tit. 5. q. 40. & ſequitur Delrius lib. 5. Sect. II. Tannerus & alij &c. Vnde non poterit rea ad torturam reuocari, niſi vel alia afferantur noua indicia, quibus denuo in nouam

cri-

Digitized by Google

criminis ſuſpicionem vocetur, vel dicatur torturam cuiquam ſine cauſa inferri poſſe, quod inauditum eſt, & omni æquitati contrarium. Quod autem noua hæc indicia ad torturam alteram euidentiora prioribus quæ erant ad torturam primam lex eſſe velit, plane ſecundum rationem ſtatuitur: Nam cum quis accuſatus argumenta quibus petebatur, accurate ſemel euitauit, tum autem aliis petatur ab nouo, ita comparatum natura eſt, vt validiora fere exſpectemus quam priora fuêre. Deinde vero cum tortura altera neceſſario multo ſit acerbior atque illa prima fuerit, ad quam animus adhuc erectus & infractæ vires allatæ ſunt; poſtulat ſane recta ratio, vt ad eam tanto grauiorem non niſi tanto quoque grauioribus de cauſis accedatur. Fiat igitur quod lex dicit, id eſt, repeti in queſtionem reus poſſit; ſed cum eo, *vt argumentis euidentioribus oppreſſus ſit*, id eſt, nouis indiciis adhuc validioribus, quam priora fuerint, concluſus. Imo addendum eſt quod docet Farinacius lib. 5. quæſt. 38. num. 77.

ſecu-

ſecutus Paridem de Puteo, Angelum, Marſilium, Aymonem, Blanchum, Carrerium, Guidonem de Suzzaria, Boſſum, Clarum, Menochium, Franciſc. Perſonalem, Bertazzium, & alios, indicia hæc non ſolum debere eſſe prioribus fortiora, ſed etiam *diuerſi generis*, id eſt, quæ ab aliîs differant ſpecie & ſubſtantia. *Verbi gratia*, inquit, *prima indicia reſpiciebant malam famam inquiſiti, vel eiuſdem inimicitiam cum occiſo, & ex illis ipſe reus fuit tortus & nihil faſſus eſt: ſuperuenit poſtea teſtis, qui deponit ſe vidiſſe eundem reum vulnerare, vel vidit eundem cum gladio euaginato: talia dicuntur noua indicia, quia differunt à primis ſpecie vel ſubſtantia: Verum ſi prius habuit reus contra ſe indicium famæ probatæ per aliquos teſtes, & ex illis tortus perſtiterit, non poteſt amplius repeti, licet ſuperueniant alÿ teſtes eandem famam probantes: tales enim teſtes non inducunt nouum inditium ſed nouam probationem veteris inditÿ*. Sic ille: Quæ quidem etſi ita ſint non ſolum legibus ſed & rectiſſimæ rationi conſentanea, atque eam ob rem in criminibus omnibus

bus etiam Exceptis retinenda: Nihilominus vt ſunt laxæ & immites multorũ conſcientiæ parum de futuro alterius quoque vitæ iudicio ſollicitæ, longe aliter in Praxi obſeruari ſolet: vt agnoſcit etiam Farinacius ibid. nu. 76. & ante eum Clarus lib. 5. q. 64. & ibid. Brunus ab eo citatus, qui non ſolum ſic vidiſſe, ſed & ſe feciſſe male ac minus iuridice fatetur: cauſas dubio ſequenti veſtigabo. Interim monere hic ſerio huiuſmodi Iudices operæpretium erit, ſi quis forte lecturus eſt, qui vigilante adhuc conſcientia fruatur: fieri id non poſſe abſq; grauiſſimo peccato. Ratio eſt, quia ſine cauſa, vt iam dixi, infertur corpori proximi malum grauiſſimum. Itaque ſi nemo non Theologorũ ſentiet, eum peccaturum eſſe mortaliter, qui ſex ſeptem vulnera etiam non lethalia, dum alias ea ſint, quæ ingentem corpori dolorem imponant, in caput ac brachia Titij ſine cauſa diſpergat gladio ſiue fuſte; peccabit vtique & multo quidem grauius, qui in eundē Titium item ſine cauſa ea tormenta explicet, quæ ſi vel dimidio horę

qua-

quadrante ſubeantur, eum pariant dolorem, quem dolor vulnerum viginti quinque non æquet. Quod ſi item dicent peccaturum mortaliter, qui alteri ſine cauſa vtramque manum abſcindat; peccabit vtique & qui alterum ſine cauſa torturæ ſubiiciat, cum hanc grauiorem pœnam eſſe, quam vtriuſq; manus abſciſſionem ex communi ſententia Doctorum affirmet Farinacius quęſt. 42 num. 14.

Quæ cum ita ſint, mirari ſæpe ſubit quid multis adeo inclementibus eſſe libido ſit, vt tam minime in torquendo, vel alieno corpori vel ſuæ conſcientiæ parcant? ſane quidem, ſi peccare mihi lubeat, & omnino animo concluſum ſit, quod auertat Devs, ad gehennam proficiſci, nolim tamen itinere tam inſuaui, ſed non paulo iucundiore via.

Dices, Si ſic ſubito ſe exemit, quæ vnis tormentis infamiam & indicia abſterſit, pauciſſimas nos Sagas vreremus: procedere non poſſemus.

Resp. Ita mihi non infrequentes hæ

voces audiuntur, vt quotieſcunque hactenus modeſtiſſime monere plures ſoleo, de diligentia & attentione procedendi; toties non alio vno argumento ſibi ſecuritatem, mihi ſilentium imperent; quam quod negẽt, niſi ita faciant, procedere ſe poſſe. Gaudeo vero cum eos formãt in rem ſuam diſcurſus, quos refellere non poſſum: neque enim poſſum. Lector meus ſi ita ei placet, & iudicio non parum valet, is refellat: ſic enim mihi dicere videntur: niſi ea facimus quæ cum ratione, & æquitate, ac legibus non conſentiunt, id eſt, niſi grauiſſime peccemus, & eos qui ſe purgarunt, ad noua tormenta, ſine noua cauſa ducamus, nos Sagas non habemus; pyras exſtruere non poſſumus: Exſtruendæ tamen pyræ ſunt, & habendæ Sagæ, vndecunque, quarumuis Legum ingratiis accerſantur. Præclara ſane ſententia! quæ ingentem hunc Sagarum numerum, quem cum piis & religioſis multis viris non audebam ſine nota exotici ſenſus palam proloqui, manifeſto calculo nobis addicit. Et ecce Germania

tot

tot Sagarum Mater, quid mirum ſi præ mœrore oculos effleuit, ne videre poſſit? O cæcitas noſtræ gentis! Ecce ipſimet Iudices clare clamant: ſeruetur æquitas, ſequamur rationem, & Sagas non comburemus. Non ego quid contradicam ſcio; concedo enim: reſpondere non poſſum. Itaque non iam miror cõſideratiſſimum Tannerum, quod cum in ſuo commentario de Sagis dub. 5 modos collegiſſet eas efficaciter extirpandi, inter cæteros hunc quoque prudentiſſime annotarit nu. 131. *Vt proceſſus non nimis diu prorogentur, ſed ſeruata Iuris forma maturius expediantur; vel damnatis reis & confeſſis, vel dimiſſis ſi qui per torturam indicia purgarint.* Sed quid prodeſt hęc editis commentariis monuiſſe? pergent nihilominus Iudices vt cœperunt: nam cauſas ſuas habent, quæ ſequenti dubio dicentur.

## Dvbivm XXII.

*Cur multi Iudices hoc tempore ægre reas abſoluant, etſi ſe in tortura purgarint?*

RESPONDEO, Nondum ſæpe vidi, etſi

etſi multis in locis ſæpiſſime videre poteram dimiſſam quæ in prima tortura inficiando culpam, ſe purgaſſet. Ægerrime ac vix ſane abſoluuntur, quæ ſemel in carcerem receptæ ſunt. Et videri poterat iuſtitiæ hic zelus eſſe, & quidam velut ardor virtutis. Sed abſit vt tam immoderatum quid virtus habeat, quæ non niſi inter eam lineam, quam lex & ratio direxit, exercere vim ſuam ſolet. Mihi iſta potius videntur eſſe:

Primo, Per fas & nefas habere volunt quas comburant, vt præcedenti dubio iam dixi: qui neſcio quis cæcus impetus eſt, & ſeu illi ſeu Magiſtratus culpam habent.

Secundo, Accedit quoque quod ignominiæ ſibi fore fingunt, ſi facile dimittant, tanquam præcipites fuerint in ea capienda & torquenda, quæ mox innocens inuenta ſit. Inſero quod vidi ante annos duos. Eram in loco, vbi initium dabatur inquiſitioni Sagarum. Prima omnium Gaia, quod in pago ſuo audiret male, ob hoc vnum capta eſt, ob idem

dem torta eſt. Hæc in tormentis Titiam defert, vt conſortem, tantumq́; valet vnica delatio, vt & Titia capiatur, & in equuleum tradatur: Hunc illa ſuperat & conſtanter ſe ream negat. Interim Gaia ad pyram educitur, vbi admodum pœnitens, & ad mortem judicio Confeſſarij optime comparata reuocat delationem Titiæ tanquam falſam, & vi tormentorum expreſſam, male ſe feciſſe deferendo innocentem, nunc adeo paratam eſſe morte ſua obſignare ſe de Titia nihil mali ſcire, cumq́; iis verbis in flammam intrauit. Nihil tum erat cauſæ, quin Titiam dimitti conueniret, quam nec capere quidem oportuiſſet: dimiſſa tamen non fuit: obſtabat enim quod dixi: muſſitabant inter ſe iudiciales perſonæ leuitatis ſe notam contracturos, ſi ſic Titia ad libertatem recurreret. Vah quam res indigna, parumq́; Chriſtiana, omni æquitati aduerſa!

Tertio, Lictor quoque dedecus veretur, tanquam arte ſua ac tormentis imperite functus, cum imbelli fœminæ confeſſionem non abſtulit.

QVARTO, Miſcet ſe amor lucri, ſi in capita plectendorum conſtituta pecunia eſt, quam nolint imminutum iri. Enimuero non omnes ſancti ſumus, aut ita æque à continentia inſtructi, quin ſubinde auri & argenti fulgor oculis obludat. Itaque quod non ſemel audiui & indolui, quærunt omnibus modis vt rea ſit quam eſſe volunt, compingunt in arctiora vincula, macerant ſqualore carceris, domant frigore & æſtu, ſubmittunt Sacerdotes, quales ſupra deſcripſi, impetuoſos, ſeu imperitos, ſeu olim mendicabula, nunc Inquiſitorum ſeruos: retrahunt in noua ac noua tormenta, ac denique eouſque vexant, & affligunt, dum tot miſeriis confectam tandem ad confeſſionem ſeu veram ſeu mendacem impellant. Neque enim deſunt inuenta pulcherrima & expedita, ad repetendas quæſtiones, & conſcientiæ lumen tantiſper obruendum, etſi noua indicia non reperiantur, vt iam dicam. Lubet enim, ne de lenitate mea nimia atque inſcitia rerum criminalium me pudefaciant, acce-

Digitized by Google

accedere pauliſper ad eorum partes, & vel inſtruere minus eruditos, quibus inuentis facere liceat quod lubet.

## DVBIVM XXIII.

### *Quo prætextu obtineri poſſe videatur vt liceat tormenta repetere ſine nouis indiciis?*

RESPONDEO, Non vnus prætextus eſt, quo Iudices laxioris conſcientiæ vti poſſint, & nunc ſtrenue paſſim ſolent. Sunt autem iſti:

PRÆTEXTVS I. Bartolus Iuriſconſultus in leg. vni. ff. de quæſt. vult eſſe poſitum in arbitrio Iudicis, an repeti in Equuleum poſſit, qui in prima quæſtione nihil eſt faſſus. Idem ſentit Baldus in l. 2. nu. 10. ad fin. C. quod metus cauſa. Idem Paris de Puteo, Marſilius, Cataldus, Menochius, & alij relati à Claro & Farinacio quæſt. 38. num. 87. Recte & egregie plane ad Iudicum mentem: dicent enim ſe ſequi ſententiam Bartoli & Baldi, aliorumq; citatorum, & vbi ipſis lubebit, arbitrabuntur repeti oportere. Quod ſi dicas arbitrium Iudi-



Digitized by Google

cis debere nihilominus ſecundum iura regulari, vt bene obſeruant Doctores; reſpondebunt illi in Exceptis criminibus licere iura tranſgredi: Ita liberrima ſemper arbitria futura ſunt, nec quiſquam vnquam quantumcunque exerrauerit, conueniri poterit ac puniri.

Prætextvs II. Docent alij repeti tunc poſſe, cum tortura prima ſufficiens non fuit. Ita Clarus lib. 5. quæſt. 64. Quæ autem ſufficiens æſtimanda ſit, pendet à Iudicis arbitrio, inquit Delrius l. 5. ſect. 9. Damhauderus praxi criminali cap. 38. & alij paſſim, *Et hoc caſu ſolent Iudices* (verba ſunt Iulij Clari loco citato) *quando iubent reum deponi à prima tortura ſcribi facere quod illum deponi iubeant animo repetendi &c.*

Rectiſſime & hoc pro laxis illis militabit: dicent enim cum ita volent priorem torturam ſufficientem non fuiſſe; ſic quippe omnem eam appellabunt, quæ reo vocem nondum extorſit, eritq; hic calumniẹ ſtruendẹ quaſi locus communis. Itaque torqueatur reus: ſi confite-

fitetur, bene eſt: ſi non confitetur, inſufficiens tortura fuit, cras repetatur: ſi nec tunc fatetur, adhuc inſufficiens tortura fuit: procedamus.

PRÆTEXTVS III. Similis eſt item repetendæ torturæ color, quem ſuggerit Bartolus in l. vnius, ff. de quæſtionib. dum ait, eam legem, vt & l. repeti, ff. eod. tit. ſic intelligi & practicari, quod non poſſint repeti tormenta ſi indicia fuerint infirmiora; poſſint autem ſi fuerint valde firma & multum vrgentia: atque de hac Bartoli explicatione ait Farinacius quæſt. 38. num. 79. eum magiſtraliter locutum eſſe, ſequunturq; Bartolum Paris de Puteo, Marſilius Boſſus, & alij à Farinacio citati, contra Boerium, & (vt ait velle Carrerium) contra magis communem Doctorum opinionem. Quicquid ſit, inſignis hic eſt color: nam inpoſterum pro ſuo quiſque cerebro indiciis ſuis quodcunq; volet pondus adimet aut addet, & ſi repetere tormenta lubeat, dicet indicia ſua plurimum vrgere, & minime infirma eſſe.

PRÆTEXTVS IV. Iuuabit quoq; quod ſequitur; ſic enim hodie probi Iudices exiſtimant licere ſibi torturam in hoc crimine, vtpote atroci, ad horam vnam aut etiam quinque quadrantes extendere, cum & ſic doceat Farinacius q.38. n.54. contra generalem prohibitionem Pauli III. & vt mihi videtur contra ſeu naturalis ſeu ſaltem Chriſtianæ humanitatis legem vt ſupra dixi, dub.20. rat.12 ſed tamen ſic mites illi putant. Itaque vt id tempus tanto fructuoſius collocēt, diuidunt in duas tres partes, ac diebus diuerſis torquent.

Sic enim ratiocinantur; licere ſibi ſumere tempus horæ, licere igitur eam horam in partes diſcindere. Præclarus color! nec aduertunt vt etiam concedam antecedens (quod tamen nunquam conceſſerim) non tamen niſi crudeliter inferri conſequentiam poſſe: nam incredibiliter amplius ita diſtracta quam continuata tortura affligit. Refrigerato enim corpore, atque animo inſuper per noctem fracto ac perterrefacto imaginatione nouæ ſequentis



Digitized by Google

tis diei pœnæ, quis neget inſignem cumulum ad permiſſam pęnam adiectum iri? qui certę tam notabilis exceſſus non poteſt ſine peccato grauiſſimo decerni ob cauſam datam ſupra dub. 21. Reſp. 2.

Prætextvs V. Iuuabit vehementer præcędentem prætextum autoritas Iacobi Sprengeri & Henrici Inſtitoris auctorum Mallei maleficarum, qui hæreticæ prauitatis inquiſitores à Sede Apoſtolica quōdam in Germaniam miſſi fuerunt. Nam hi expreſſe docent, ſæpius torqueri poſſe non fatentem per modum nō quidem *repetitionis* ſed *continuationis*. Verba eorum ita habent parte 3. quæſt. 14. pagina 513. *Quod ſi nec poterit reus ad terrorem vel etiam veritatem induci, tum pro ſecunda aut tertia die quæſtionandum erit, ad continuandum tormenta, non iterandum, (quia iterari non debent, niſi noua ſuperueniſſent indicia) & tunc feretur coram eo ſententia in modum qui ſequitur. Et nos præfati Iudex aſſignamus tibi tali diem talem ad quæſtiones continuandum vt tuo proprio ore veritas audiatur:* ſic illi nimis quam præclare. Quis iam Iudicum

cum maleuolorum non apertum habet oſtium faciendi quod velit? non *repetemus*, inquient, torturam: abſit ſane, vt id ſine nouis maximisq; indiciis faciamus, *continuabimus* ſolum alio die, dum veritas eluceſcat: ſcimus repeti non poſſe, eſt id contra leges ac rationem; nolumus tam eſſe inhumani & crudeles, continuabimus duntaxat: Continuari enim poſſe didicimus; & Autores ſequimur viros in hac materia verſatos, Inquiſitorum munere per Germaniam functos, Theologos, & religioſos: ſic igitur illi ſe tuebuntur. Neſcio quid dicam, itane viros religioſos ac Sacerdotes loqui poſſe & ludere in re tam acerba! Nam certe irreligioſa hæc mihi crudelitas videtur; & vereri incipio, imo ſæpe ante ſum veritus, ne prædicti Inquiſitores omnem hanc Sagarum multitudinem primum in Germaniam importarint, torturis ſuis tam indiſcretis: imo, inquam, veriſſime diſcretis, & diuiſis.

PRÆTEXTVS VI. Sunt quidam qui docent, quod ſi reus tot delicta commiſiſſet, vt vno die examen abſolui non poſ-

ſet,

ſet, poſſe eum vltra tres vices torqueri, adeo vt ſi quis de quinque diuerſis criminibus foret delatus, & ex indiciis grauibus ſuſpectus, & de tribus tantum delictis tres torturæ & examina conſumpta, de reliquis toties torquendus ſit, donec examen de iis fuerit perfectum & abſolutum: ſicut reus ſufficienter hoc eſt bis aut ter tortus atque contra ſe crimen confeſſus, quarto aut quinto torqueri poteſt ad detegendum ſocios: quia ratione ſociorum nunquam fuit tortus: ſic ait Tannerus docere Delrium lib.5. appendice 2. quæſt.34. Non habeo appendicem illam Delrij, vt videre poſſim: ſi ita eſt, quid obſecro fiet in crimine Magiæ, vbi tot crimina ſolent eſſe connexa? quanta via aperta Iudicibus erit ad torturas multiplicandas? Prohibeat Deus quæ hæc immanitas futura eſt? Denique id ex dictis clarum eſt, ſub ſpecie Iuſtitiæ eam eſſe Inquiſitoribus poteſtatem repetendi tormenta, vt nullum non hominum genus, quod ſub tormenta modo venire potuerit, Magię lue infectiſſimum ſit.

DV-

## Dvbivm XXIV.

*Quomodo Iudex ſcrupuloſus, qui ſine nouis indiciis torquere non audeat, facile noua indicia reperiat?*

RESPONDEO; Suggeſſeram ſuperiore dubio non malos prętextus, quibus Iudices vti poſſent, ſi repetere torturam ſine nouis indiciis liberet. Nunc tamen, quia aliqui fortaſſis ſcrupuloſiores, ne ſic quidem ſatis conſcientiæ clamorem compeſcerent, ſed omnino vererentur ſine nouis indiciis eas pœnas repetere, maxime ter quater & quinquies; iis quoque ſubueniam tribus aliis inuentis non iniucundis; quibus ita pacatam cõſcientiam reddent, vt omnem eius motum tollant. Ingenioſiſſimi enim homines tres modos excogitarũt, velut diuites argumentorum locos, vnde illico in promptu habeant noua indicia, quæ reum repeti in nouas pœnas ſinant, imo & plane conuictum rogo damnent. Modi autem iſti ſunt:

MODVS I. Quæ in prima, ſecunda aut tertia, imo & quarta tortura vocem tenuit,

nuit, eam reduc in carcerem; ibi tum fac in arctioribus vinculis, frigore, ſqualore loci, ac ſolitudine mœrorem ſuum & dolorem (quas à tormentis reliquias aſportauit) concoquat aliquanto tempore, & ſenſim abſumat: parum eſt ſi hyemem vnam & æſtatem ſic maceretur; cum & ea quies poſt tot torturas etiam hodie perſonis Eccleſiaſticis nonnullibi indulta ſit. Interim dum eam ſic detines, procede tu, & in alias Sagas inquire, cape, & torque: cumq́; pœnis impares fuerint, interroga de priore illa, quam in carcere adhuc ſeruas, an nō hæc alicubi ab iis in conuentibus ſit viſa? an docuerit? an didicerit? aut ſi quid erit tale. Inuenies certe quibus exprimas quod voles, quæq́; congruant, in iis circunſtantiis quas tu eis cum torquentur, ſuggeres, aut lictor, iuxta dicta ſupra dub. 20. rat. 11. & 12. Tum autem, vt primum nouam aliquam denunciationem huiuſmodi contra captiuam inueneris, inueniſti vtique id quod docere te volebam, nouum ſcilicet indicium: age, id ei denuo propone, vrge, inſta, increpa,

crepa, & per te ac Confeſſarium impelle, vt faciat ſe tandem ream : ac ni acquieſcit, repete audacter in tormenta: ſi conſcientia adhuc obmurmurat, non cura, dic: hæc hodie eſt praxis.

Aut ſi adhuc nec id audes; exſpecta occaſionem meliorem : nam dum interea circumcirca alias atque alias torquebis, facile fiet vt inter tam multas vna aliqua aut altera dum nominare alias cogitur, incidat etiam ſpõte in hanc tuam captiuam nominandam, vtpote quam iam tum infamatam audierit: tum igitur indicium nouum habes, vt torqueas. Qui etiam modus ſeruiet ad eas in carcerem recipiendas quæ ſemel inde dimiſſæ forte ſunt, & cautionem præſtitere ne fugiãt. Nam hæc quoque hodierna praxis eſt, atque inuentum pulcherrimum, vt nulla non fruſtra inpoſterum de carcere dimittatur.

Modvs II. Si nec ſic proficis, tum vnam aliquam, quæ dicto modo captam denunciauit, iube cum illa tua denunciata confrontari : interimq; denuncianti, dum ad denunciatam ducitur, lictor

lictor impudens minetur quicquid ſpirare pœnarum poteſt, niſi denunciationem ſuam in tortura factam clare coram denunciata ediſſerat: Idem tu minare. Vbi conuenêre; increpa denunciatam de pertinacia, ac dic adductam iam eſſe, quæ eam tandem in faciem conuincat, & dubitationi omni imponat finem; conuerſusq́; ad denunciantem, roga an non conſtèt in confeſſione ante facta quod hanc viderit in conuentu, &c. Timebit ſane hæc, ne, ſi non conſtet, ad grauiora tormenta reducatur; proindeq́; conſtare dicet. Quod etſi non factura eſt, niſi voce ſubtimida & à ſuſpirio inchoata, tum & capite ſubmiſſo, deiectis oculis, atque eo deniq; geſtu, qui inuitiſſimum mendacium affirmet; etſi etiam denunciata illa mox excipere & reſpondere paret; tu tamen hæc omnia diſſimula, & abrupta omni vlteriore audientia, aut examinatione, iube illico denunciantem reduci, & denunciatæ id vnicum cum tuis inclama: Nunc eam tandem palam eſſe conuictam, proindeq́; non mo-

do repeti in tormenta poſſe, ſed etiam ſi hæc eludat, nihilominus damnari, vt manifeſto obſtinatam & in faciem conuictam; nam ſic loquuntur, & id hodie eſt *confrontari*, id *in faciem conuinci*. Quod cum continuo in vulgus ſpargant, & ad Principes perſcribant, merito omnes, etiam Theologiæ Doctores ſuper hoc conſulti, iniquiſſimis proceſſibus applaudunt; tanquam qui illas loquendi phraſes curioſius non didicerunt, neq; diſcent. O Germania quid facis? & cur hæc indicare atque monere Magiſtratus non licet? Iterum hic cum amici mei hæc legunt, hærent attoniti, & quomodo, inquiunt, hæccine ita fiunt? hæc eſt praxis? Ego vero iuratos adducam teſtes, qui hanc praxin oculis ſuis & memoriæ (non enim Iudices protocollis) inſcripſerunt. Et quid Principes dicturi ſunt, ſi etiam teſtatum dedero, per talem cõfrontationem taliter conuictas, cum adhuc negarent, ob hanc obſtinationem condemnatas eſſe, vt igitur exurerentur viuæ? Et quid dicet Magnus Cæſar, ſi etiam Eccleſiaſticas perſonas

Digitized by Google

ſonas eadem damnatione in Imperio periiſſe audiat? Sed hæc alias.

MODVS III. Sume nouum indicium & id admodum firmum ex ipſamet tot tormẽtorum tolerantia: dic enim hanc tãtam eſſe non potuiſſe ſine maleficio, & hoc igitur maleficium eſſe nouum indicium criminis. Vnde iube maleficiatum exorciſari, aut quod aliqui ſuadent mutari locum & carcerem, vt in aliud Caſtellum transferatur, ac deinde depulſo hoc per exorciſmum aut mutationem loci maleficio, iam experire ab nouo quid tortura poſſit. Qua de re vt clarius proceſſum Iudicum quorundam intelligamus, dicam latius dubio ſequenti.

## DVBIVM XXV.

*An nouum indicium ad torturam nouam det maleficium taciturnitatis?*

MAleficium taciturnitatis appellant, cum quis artibus malignis contra ſenſum tormẽtorum obduruit: vt videre eſt, in malleo Sprengeri, par. 3. q. 15. pag. 518. & apud Delrium lib. 5. Sect. 9.



Digitized by Google

Itaque ſi quæ hodie bis aut ter torta, nil fatetur; mox aiunt eam vti maleficio, dæmonem ei fauces obſidere, ne fateri poſſit; atque hoc ipſo ſat deprehendi ream eſſe, proindeq; exorciſari & rurſum torqueri poſſe.

Sane Titia, inquiunt, ni Saga eſſet, non potuiſſet ſuſtinere duas has aut tres torturas, tam immanes; non enim id feciſſet, niſi ope diabolica, vel diuina: Formalia hæc verba, adhuc nuper à religioſo quodam iuuenculo & imperito; tum autem alias, non ſemel à Iudicibus audiui: Quærendum igitur eſt, an hoc recte? &

RESPONDEO; Quod nequaquam. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Nego inprimis non potuiſſe Titiam, eas duas tresve torturas ſuſtinere ope naturæ: plurima ſane homo naturaliter ferre poteſt; vnde autem illi norunt, hæc quoque tormenta, non inter illa plurima, contineri? non igitur, ſi quæ tacet, id continuo dicendum eſt maleficio obtinuiſſe.

RATIO II. Ne tamen nimis ſtrictus ſim,

ſim , concedo etiam non potuiſſe Titiam robore proprio contra hæc eniti; eſto ita ſit ; iam id amplius me iuuat: nam ſic argumentor: Non potuit Titia ſuſtinere tormenta niſi ope diabolica vel diuina. Ergo ſane grauiora fuere , quam vt naturaliter perferri poſſent:Si hoc autem,ergo iniquiſſimi fuere Iudices,qui talia decreuerunt:Si hoc autem , ergo & iniquiſſima tormenta; ergo & in omni iure inualida , & nulla; ergo & Titiæ obeſſe non poſſunt ; ergo nec ex illis vllum contra Titiam argumentum duci; ergo nec ex illis Titia pro Saga iudicari ; ergo nec ab nouo torqueri; & ſi quidem torqueatur, tamen nec comburi viua , vt obſtinata, ſi tacet; aut vt confeſſa ſi fatetur: cum & obſtinatio , & confeſſio ſit nulla. Sic communiter Iuriſtæ docent , & vide apud Farinacium, q.38. num.78. ex Gomezio , Gigante , Carrerio , Burſato , Franciſco Perſonali, & aliis. O Magne Cæſar , quot tamen in Germania hac tua ſic indies pereunt,& perierunt? neque tu tamen culpam habes, ſed exſpe-

ctas ſupplicantium querelas, vt ſubuenire omnibus poſſis.

RATIO III. Aliter formo idem argumentum: Titiam videri adhuc Sagam, aiunt Iudices, & repeti in tormenta poſſe, quia nouum iam indicium repererunt. Sed quod illud? quia vſa eſt maleficio ad tormenta priora ſuperanda. Sed hoc ipſum quî probant? quia tormenta ea erant, vt aliter ſuperari non poſſent. Accipio hoc & infero: ergo iniquiſſimi fuere Iudices, qui huiuſmodi tormenta intulerunt, quibus aliter quam maleficio obniti naturaliter non licuit; ergo denique indicium nouum habent Iudices, quia iniquiſſimi fuere; ni iniquiſſimi fuiſſent, non haberent: culpa igitur noua Titiæ, iniquitati Iudicum inſiſtit, tolle hanc, & contra Titiam nil noui habent: imo pone hanc, & æque nihil habent; cum quod iniquis & inualidis tormentis ſuperſtructum ſit, inualidum quoque ſit & nullum. Vt iam pateat, quam imperite & contra ſe ſe inconſiderati homines loquantur.

RA-

Ratio IV. Eſto quoque, non potuerit Titia tormentis iis obluctari niſi ope dæmonis, vel Dei; cur iam potius ope dæmonis id factum aſſerunt, quam Dei? Enimuero cum Titia ſic immaniter eſt torta, vel vere innocens fuit eius criminis, quo grauabatur, vel vere nocens. Si prius; quid credibilius quam iuuiſſe Deum ſic innocentem, tam immaniter cruciatam? ſi poſterius; tum eſto dæmon potius, quam Deus iuuerit, iam illi tamen id factum eſſe, & vere Titiam fuiſſe nocentem præſupponere non debent, cum id ipſum ſit in quæſtione: atque eam ipſam ob rem quod id ignorent, indicium nouum quærant.

Ratio V. Si, quod Titia in grauiſſimis tormẽtis nihil faſſa ſit, nouum hoc apud illos indicium criminis eſt, ergo grauiſſima hæc tormenta illata ei ſunt plane fruſtra, & nullo fine: nam quo illo? an vt plene ſcirent, reane eſſet Titia, an ſecus? At iam ante æque ſcibant (ſi volebant) eam ream eſſe: ſic enim quod argumentaturi erant poſtea, argumentari poterant paulo prius: Vel Titia in

tormentis iis fatebitur ſe ream, vel non fatebitur: Vtrum autem fiat, vtique eſt rea: Si fatebitur, rea eſt, quia faſſa eſt: Si non fatebitur, tunc quoque rea eſt, quia faſſa non eſt in tam atrocibus tormentis. Itaque & ſi fatetur, & ſi non fatetur, rea eſt. Abſolute igitur ream eſſe Titiam cum ante torturam æque ſcirent, ac probare poſſent ſi vellent; quid ex tantis tormentis, non diuerſa notitia vel probatione eam ream eſſe, voluerunt ſcire? Fruſtra igitur, & nullo fine, quod erat oſtendendum, grauiſſima ſuſcepta tortura eſt: Niſi forte eum finem voluerint, vt crudelitatem paſcerent, atque hominem barbare lacerarent. Hoc autem cum ſine grauiſſima culpa fieri non poſſit, quæ hæc inſana libido eſt, theſaurizandi ſibi iram Dei? Vbi nunc ſunt viri ſpirituales, & docti, non qui Iudices tam inſulſe de taciturnitatis maleficio ratiocinari doceant, vt nuper audio feciſſe quendam qui ſe Philoſophum auſus putare eſt, ſed qui ſolide & Chriſtiane erudiant, ne quid vel per imperitiam, vel per inordinatum

tum impetum peccent in re tam graui vnde ſalus pendet?

Ratio VI. Aiunt Iuriſtæ adhiberi torturam vt veritas pateſiat: Quæro igitur, ſi hæc hominum prædictorum praxis valet, quo tandē modo pateſieri poſſibile ſit? cogitet Lector, & mihi ſuggerat, ego neſcio; nec occurrit cogitanti: niſi forte id velint dicere, nihl aliud in hac mareria poſſe eſſe veritatem, quam hanc vnicam propoſitionem, quod quę torturæ addicitur, ſit rea: Si ita eſt, concedo hanc veritatē per torturam poſſe pateſieri, vtcunq; res cadat, ſeu eam toleret, ſeu elidat vt dixi; alioqui ſi poſſibile eſt quoque, propoſitionem illam alteram aliquādo eſſe veram, quod quæ torturæ addicitur, rea non ſit; nequeo videre, qua tandem ratione pateſieri hæc veritas ſecundum illos vnquam poſſit. Nequaquam igitur, cum Titia ter, quater torta, inconfeſſa manet, dici conuenit maleficio ſe firmaſſe, ac proinde ab nouo indicaſſe culpam, vt ab nouo, quæſtioni alteri præmiſſis exorciſmis ſubiiciatur: Præſtabat potius

 ab

Digitized by Google

ab initio de maleficio formidare, & ante omnem adeo torturam per exorciſmos, ſi ita vellent, maleficiis occurrere, quam ſic imperite iuxta, ac crudeliter argumentari. Pudeat inſcitiæ Sacerdotes eos, qui hos demum exorciſmos, cum ita male argumentati fuerint, adhibent, & ad necem hominum inique tortorum, ac proinde ſecundum allegata & probata innocentum, tali argumentatione efficaciter concurrunt.

Dices, Atqui vero ſi Titia in tormentis nil ſentiat, ſi rideat, ſi obmuteſcat, ſi obdormiſcat, ſi caſtigata ſanguine non fluat; An non hæc certa maleficij ſunt ſigna, ac proinde nouæ indicationes?

Resp. Non ſunt ſane. Quod vt oſtendam, à nouo dubio commodius ordiemur.

## Dubium XXVI.

*Quæ ſigna maleficij taciturnitatis afferri ſoleant à malitioſis, & imperitis?*

Respondeo, Præter id, quod tenere vocem quis potuit, afferuntur & alia proxime dicta in fine præcedentis du-

dubij, & hæc quoque partim falſa, partim vana: quæ quod item Magiſtratus, ſic leuiter audiant, & non examinent, culpa vtique non vacant: nos diſtinctè hic ponemus, vt Conſiliarij & Confeſſarij Principum diſcant & doceant. Itaque

SIGNVM I. Aiunt *quoſdam in tormentis nil ſentire, ſed ridere*. Audio ſane, ſed id ego falſiſſimũ eſſe aio, dum probent; id eſt, dum iurati teſtes affirment. Capere non ſatis poſſum, quæ hęc prurigo ſit mentiendi, fere omnes enim mentiuntur: fere, inquam, vt exceptum ſe ſciat, qui *de induſtria certo obſeruaſſe, & verum dicere iurauerit*, qualem nondum adhuc vllum teſtem vidi: Itaque ſi quis reus animo ac corpore ita potuit, vt, quod in magno contra dolorem niſu ſolet fieri, compreſſis dentibus, ac deductis labiis, reſorptoq́; halitu, ac voce, pœnas conſtanter exhauſerit, cum clamant crudeliſſimi homines, dexterrime præeunte carnifice, non curare quicquam, non ſentire, ſed deducto ſic & renidenti ore irridere, ac ludere. Hic

zed by Google

Hic ipſiſſimus intellectus, iſtius phraſeôs eſt: Vah autem, quæ hæc immanitas eſt? Et hoc tamen mox in vulgus liberrime ſpargunt, atque ad ipſos denique Magiſtratus omnium credulos perducunt. Noui quid dicam, & teſtari poſſum: ac Magiſtratus ſi me audiant, inſigniter punire debeant tam falſos calumniatores. Imo ipſi ſane, quod hæc & ſimilia plura neſciunt, verendum eſt, ne olim à Deo puniantur.

SIGNVM II. Aiunt *quoſdam obmuteſcere, & obdormiſcere*. Sed eadem plane fide. Obmuteſcere quidem poſſunt, ſed obdormiſcere non credo, ni iurati teſtes affirment. Iterum mentiuntur. Studui ego, vt has eorum phraſes intelligerem, cur Principum Conſiliarij non ſtudent, quorum intereſt? præſertim cum ex huiuſmodi rerum ignorantia is naſcatur in omnium mentibus zelus, qui cæco quodam impetu, innocentes potius quam nocentes abripiat. Vt profecto dicere non verear quod & dixi ſupra, timere me vehementer, ne Principes illi, qui ſic in Sagas hodie, & non

cau-

cautius feruntur, in præſentiſſimo ſint periculo ſuæ ſalutis. Quid autem eis prodeſt, ſi vniuerſum, vt putant, orbem zizaniis expurgent, ipſi interim animæ ſuæ detrimentum patiantur? Sed in viam redeamus.

Scio inprimis nonnullos in tormentis animi deliquium eſſe paſſos; id mox impij appellarunt dormiuiſſe.

Deinde quoque ſcio, alios cum plane obſtinaſſent tenere vocem, cumq; compreſſis palpebris, & collectis omnibus viribus diu cum pœnis colluctati eſſent, tandem denique doloribus fractos remiſſo niſu, inclinato capite, & oculis adhuc clauſis ſe dediſſe victos & quietos, viribus iam exhauſtis: ſed an hoc dormire fuit?

Præterea; concedunt certe Medici ac Philoſophi, naturaliter poſſe contingere, vt dolore maximo, præſertim equulei, ſic homo obſtupeat, vt veluti ſomno captus ſit aut vita: quod adumbrare Poëtæ voluerunt in fabula Niobes, dum eam fingũt dolore in lapidem obriguiſſe: Hoc igitur noſtri Iudices dormire

mire appellabunt, ac nil ſentire? Inſero, quod nuper audiebam. Sacerdos quidam Sacellanus, cum torturæ cuiuſdam rei intereſſet, qui ſic oculis adhuc clauſis pendebat, & ad interrogata amplius reſpondere nollet, aut nequiret; vt conſtaret Quæſitoribus eum obdormiſſe, ac proinde maleficio à dæmone iuuari, id conſilij ipſis ſuggeſſit, vt relicta materia in qua erant, id eſt, interrogationibus & ſtimulis vt fateretur; ſubito alia inter ſe tractare inciperent, & ridicula quædam, prorſus alio ſpectantia, in medium afferrent. Quod cum illi igitur feciſſent; ac pendens reus animaduerteret, ſic ſubito ceſſare tempeſtatem quęſtionum, ac longe alia tractari; proindeq; ſenſim oculos aperuiſſet, aſpecturus quo hæc rerum mutatio ſpectaret, & an fortaſſe à pœnis dimiſſio ſperanda eſſet: mox Sacerdos, tanquam re confecta: *Ecce*, inquit, *nunc ſomno ſoluitur vbi alia tractamus; cum id ageretur, vt ſe reum diceret, tunc ad omnes Quæſtiones obdormiebat: Quid de maleficio dubitabimus? non poterat eas pœnas nebulo perferre, niſi dæmon*

Digitized by Google

*mon ei ſenſum ſopiuiſſet. Exorciſmi igitur interprecandi ſunt, ac deinde rurſum alea tentanda*: ſic ille. Præclarum vero facinus, ac Sacerdote dignum! qui, ſi abfuiſſet ordinis iniuria, tolli in neruum propere debuerat, & duplicibus virgis à lictore exorciſari duplici ſpiritu obſeſſus; Ignorantiæ, & Crudelitatis.

Dum hæc ſcribo, incidit, quod obiter annotabo, nonnullibi ipſi carnifici permitti; vt maleficium taciturnitatis, de quo agimus, depellat præbita quadam potione, quæ qualis ſit ignoro; id ſcio, queſtas eſſe reas, ita ſe poſt eam exhauſtam fuiſſe turbatas, vt quaſi inter medium agmen ſpirituum obſeptę aut obſeſſę ſibi viderentur: ac, ſi quidem malignas artes omnino ſcire cogantur, non niſi tunc primum cum hac potione eas imbibiſſe. Sed pergamus.

Signvm III. Aiunt *quoſdam, dum in equuleo pendent, virgis conciſos ſanguine non fluere*. Sic enim nuper de nonnullo narrabatur. Sed nec hoc eſt verum: iterum nego, dum iurati affirment, aut videam. Itaque cum vrgerem, id tandem expreſſi,

preſſi, vt dicerent, non multum ſaltem ſanguinis fudiſſe. Non multum igitur, iis erat nihil. Imbrem credo exſpectabant! & verò ſi adhuc nihil fuſum eſſe concederem, quid tamen eſſet? potuit id naturaliter contingere: Aiunt Medici, quos conſului, poſſe fieri, vt in illis anguſtiis ſic ſanguis à nonnullis partibus refugiat, atque ad cor confluat, vt non ſit quod extra fundi poſſit: Quis enim niſi plane imperitus neſcit, quotidianam experientiam ferre, vt ſolo terrore ſimilve de cauſa, iis omnis ſanguis conſiſtat, nec gutta effluat, qui vel maxime ei viam aperuere ſectione venæ?

Dices, At ſi tamen vere conſtaret, quempiam in tormentis nil ſenſiſſe? an non id magnum tum indicium eſſet, vt vere maleficus putaretur?

Resp. At quid, ſi id vere non conſtaret? Sed tamen eſto, ero admodum liberalis, fuerit aliquis aliquando, qui in tormentis nil ſenſerit, atque id etiam arte magica obtinuerit: nego adhuc, inde magnũ aliquod indicium ſumi poſſe, quod is veneficus ſit. Iam enim Autores

tores quidam, quos nominare non attinet, nonnulla ponunt, quæ qui vſurpet, in tortura ſopiat doloris ſenſum: ea igitur quis inde didicerit, aut ex Delrio partem quoque ſumpſerit; (nam & hic habet) & vſurpauerit; quid hinc confici magnopere poterit, niſi quod arte vetita ſit vſus, quæ ex occulto pacto, vt omnes illæ ſolent, vim habet? Quam multi paſſim huiuſcemodi artibus homines curioſi, & ſuperſtitioſi, nobiles, & magni vtuntur, ad ſiſtendum ſanguinem, ad curandam febrim, ad conciliandos amores, ad prohibendam penetrationem armorum, & ſimilia; quos tamen ideo nemo maleficos eſſe dicat: aliud eſt enim arte vetita vti, aliud eſſe maleficum. Apage igitur, vt tam futilibus momentis nixi laxam alias conſcientiam Iudicum amplius aperiamus; aut ſi ipſi ſibi aperiunt & dilatant, certe merito pronunciamus reorum hodie quæſtiones maximis periculis non vacare.

## DVBIVM XXVII.

### *An tortura aptum medium ſit ad reuelationem veritatis?*

DVbium hoc ponere non erat opus: nam hactenus id ipſum ſatis excuſſimus, atque adeo non niſi repetimus, quæ iam tum dicta ſunt: tamen quod dum phraſin variamus, & repetimus, melius Lectori rem imprimimus, atque id nos maxime intendimus, dabunt veniam, qui alioqui accuratiores nos eſſe cupiant. Itaque

RESPONDEO; Tortura an aptum ad veritatem reperiundam medium ſit an ſecus; nolim expreſſe definire, ſed potius Lectori ex dictis & dicendis colligendum relinquere: ſic enim exiſtimo, periculoſum eſſe ſtatuere. Rationes iſtę ſunt:

RATIO I. Aptum eſſe medium arguitur hinc, quod multi veritatem malint dicere, quam pati: ſed rurſum non aptum eſſe, æque conficitur; quod multi quoque quam pati, mentiri malint.

RATIO II. Vtriuſque ſane generis homines

mines ſunt, & quibus veritas, & quibus mendacium extorquetur; quem nunc ergo torſiſti, vnde noſti, ex vtra hominum ſit claſſe?

Ratio III. Certe poſterior hæc claſſis maior futura videtur, cum mors tormentis leuior ſit; non ſolum reipſa, ſed etiam in imaginatione, quæ viuacius, & grauius præſentia tormenta, quam futuram mortem apprehendit.

Ratio IV. Sed tamen inquis, qui innocens ſit; non facile ſe nocentem eſt facturus, mallet ſuſtinere torturam, & tacere, quam loqui & mori ac familiæ indelebilem notam aſpergere. Recte; ſed è contrario, etiam qui nocens eſt, non facile ſe nocentem facturus eſt, mallet & ille torturam, quam mortem ſuſtinere, & infamiam familiæ relinquere: vtrimque ergo difficultas eruendæ veritatis erit: nec facile ſe innocens accuſabit, nec facile nocens perdet: ſi innocentem innocentia conſtantem, nocentem culpa pertinacem facere poterit: & quæ naturæ vires innocenti contra tormenta ſuppetent, eædem & no-

centi: Imo vt quiſque ſceleſtior, ita ferocior eſſe ſolet, ac proinde innoxius fere citius ſuccumbet.

Ratio V. Difficilius tamen inquies creditu eſt; quod qui innocentiæ ſibi ſuę conſcius eſt, ſe reum contra tam expreſſum conſcientię dictamen facturus ſit. Sed nec id quidem quicquam facit; nam innocentiam ſuam contra tam acerba ſupplicia, & dolores exquiſitos tueri, non eſt niſi exquiſitæ etiam minimęq; vulgaris virtutis, quę in paucis ſane reperitur. Dici hic aliquid poſſet, quod Germania obſtupeſceret; ſed nondum
NB audeo, ſeruabo in opportunius tempus, atque in alium fortaſſe tractatum.

Ratio VI. Non poteſt tortura medium eſſe cognoſcendę veritatis, niſi ea vox, quam tortus effuderit, veritas putetur eſſe: ſed hoc putatum iri difficile pronunciatu eſt. Quid ſi enim vox ea ſit huiuſmodi; *Non ſum reus?* an tūc putabitur id verū eſſe? At longe alia hodierna praxis eſt; vt pręcedenti dubio oſtendi. Quicquid ſit, incerta hic omnia & non niſi tenebræ. Miſeriam hāc Iudicialium

quæ-

queſtionum eleganter, pie & Chriſtiane plangit D. Auguſt. de Ciuit. Dei li. 19. c. 6. cuius verba, quod amœnitatis & ſubtilitatis plena ſunt, hic aſcribam: *Quid cum, inquit, in ſua cauſa quis torquetur, & cum quæritur vtrum ſit nocens cruciatur; & innocẽs luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas: non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur? ac per hoc ignorantia Iudicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod eſt intolerabilius, magisq́ plangendum, rigandumq́ ſi fieri poſſet, fontibus lachrymarum: cum propterea Iudex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem; fit per ignorantiæ miſeriam, vt & tortum, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat. Si enim ſecundum iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa ſuſtinere tormẽta, quod non commiſit ſe commiſiſſe dicit. Quo dãnato & occiſo, vtrũ nocentem, an innocentem Iudex occiderit, adhuc neſcit: quem ne innocentẽ neſciens occideret, torſit: ac per hac innocentem vt ſciret torſit, & dum neſciret occidit.* Sic ille. Quæ vtinam conſiderent viri Religioſi & Eccleſiaſtici, qui cum Reis agunt, &c.

## DVBIVM XXVIII.

### *Quæ ſint argumenta eorum, qui continuo vera putant eſſe, quæ rei in Torturis confeſſi ſunt?*

RESPONDEO, Ita paſſim inconcuſſe putantur eſſe vera, quæ in torturis rei contra ſe, & alios confeſſi ſunt, vt impoſſibile videatur, ab ea reprehenſione vnquam imperitum vulgus diducere: quod tamen non ita miror, vti miror, doctiſſimos Scriptores omnem pene molem doctrinę ſuæ, quam de Sagarum negotiis orbi propoſuerunt, & orbis amplexus videtur, huic vni fundamento tam fallaci impoſuiſſe. Videamus igitur, quibus fere argumentis moueantur, & iis reſpondeamus.

ARGVMENTVM I. Graue peccatum eſt contra ſe, in cauſa mortis mentiri, aut ſaltem contra proximum: non igitur credibile eſt, id reos eſſe facturos.

RESP. Debile mihi ſemper, hoc eorum argumentum eſt viſum: nam inprimis negant optimi Theologi mortale eſſe, ſi quis ad euitanda grauia tormenta

menta ſibi ipſi falſum crimen imponat, propter quod morte plectendus ſit. Ratio; quia dominus ſuæ famæ eſt, nec mentitur pernicioſe, cum non teneatur tantis tormentis, quæ ipſi ſunt morte grauiora, vitam conſeruare: vnde nec poſtea tenetur reuocare, cum non retractando nemini faciat iniuriam. Vide Leſſium, & quos citat lib. 2. de Iuſt. & Iur. cap. 11. dub. 7. n. 41.

Deinde probabile etiam eſt quod habet Petrus Nauarra, lib. 2. cap. 3. num. 251. Syluester in ſumma verbo detractio, q. 3. Si quis magna vi tormentorum aliis falſum crimē imponat, non peccare mortaliter: ſaltem vbi ſpes eſſet poſtea reuocandi. Ratio; nam ſola talis confeſſio inefficax eſt ad procedendum, ac per ſe non poteſt iure obeſſe denunciato, modo tamen poſtea non ratificetur, ſed potius, vt debet, retractetur, de quo infra, dub. 30. num. 17. Denique vero, eſto ſit peccatum mortale mentiri contra ſe & alios, ac certo ſciat qui torquetur, fore vt ſi proximum falſo denunciet, is ex hoc præciſe condemnetur,



Digitized by Google

nec futurum vt vnquam mendacium ſuum efficaciter retractare poſſit; quid tum poſtea? an ideo quantumuis torqueatur non mentietur? cōcedam quidem quod aliqui ſaltē omnibus primū viribus dolori ſe opponent, ne cum tanto peccato mentiantur, ſed tandem tamen dabunt manus, ac cum nominare complices aliquas cogentur, quas neſciunt, primum quidem, vt minus noceant, nominabūt iam ante exuſtas, aut diffamatas & captas, tum deinde ſi vlterius intendātur pœnæ, etiam alias quaſcunque; grauiſſime potius peccare, quā grauiſſime pati ſuſtinentes: nam ſcilicet tā homines nos reformidamus peccare, vt nullis adeo tormentis ad id adigi poſſimus? Mirari ſoleo cum hæc audio, & maxime ab iis, qui etiam nulla coactione in quæuis ſcelera ſponte ruunt. Itaq; nō modo credimus, ſed indies videmus & ſcimus, grauiſſima paſſim ſcelera cōmitti, rapinas, furta, falſa teſtimonia, latrocinia, homicidia, adulteria, oppreſſiones pauperum, vaſtationes prouinciarum, & infinita ſimilia, etiam cum ad

hæc

hæc nemo cogit: & credere non poſſumus, committi quoque homicidas denunciationes, cum ſunt, qui ad eas cogant intolerabilibus tormentis? Debile igitur hoc argumētum eſt: Obiter vero hic annotare placet, quam lepide hic cōſequenter mentiri ſoleant, qui ſemel tormentis victi mentiri cōtra ſe cępere: nam vbi deinde ab equuleo dimiſſi sűt, quicquid voles affirmabunt, ne non ſibi conſtare videantur: ſi roges, cur non citius ſint faſſi, vt doloribus occurrerent? dicent neſcire ſe, id ſcire tamen quod loqui nequiuerint: ſi roges, an igitur dæmon eis linguam obſtrinxerit? dicēt quod obſtrinxerit; ſi, an eum viderint, aut aſtiterit, dicent quod viderint, quod aſtiterit, & ſimilia complura, quę rogare libuerit: nam ſic műdus ſibi ludos quærit. Atque interim capitalium rerum vindices, nugas has credunt, & mire ſe confirmant. Ego vero ſimplicitatem hanc ridere ſoleo. Mira hic exęmpla narrari poſſent, niſi obſtinaſſem chartas non implere ſine fructu. Rationibus pugnare malo quam narratiunculis.

Argvmentvm II. Ni vera habeantur quę in tortura dicta ſunt, iam omnia pene iudicia vacillant.

Resp. Eſto, vacillent, non ego hoc negare venio, ſed eſt ipſum id ſcilicet quod metuo, quodq; D. Auguſtinus, tanto ingenio ac conſideratione vir, verbis ante citatis, ait *eſſe plangendum, rigandumq́, ſi fieri poſſet, fontibus lachrymarum.* Neque enim de nihilo eſt, quod non fontem aliquem vnum, ſed fontes poſtulet lachrymarum: vt quid obſecro his tantis vndis eſt opus, ſi iudicia ſibi conſtant, & reorum confeſſiones? Itaq; quod vir tantus lachrymarum fontibus proſequendum putabat, id nos ne apprehendimus quidem: excuſatiores futuri, ſi & raro, & moderate, & non futilibus ex cauſis in quoslibet indiſtincte ſæuiremus.

Argvmentvm III. Experientia conuincit, quæ in tortura dicuntur eſſe vera, quia congruunt circunſtantiæ: vt V. G. dicit Sempronia in tormentis ſe ante tres menſes maleficio necaſſe vaccam Titij, item ante annos duos infantem

tem Gracchi, & ſimilia: examinant igitur Iudices & deprehendunt vere ante tres menſes vaccam Titij corruiſſe, vere etiam ante biennium infantem Gracchi contabuiſſe, &c. quid hic clarius, quam ipſiſſimam veritatem in tormentis eſſe dictam? ſic autem plerumq; contingit; vera igitur ſunt, quæ in tortura dicuntur. Ita vulgus, imo non vulgus, ſed ipſimet adeo multi periti Iudices, Inquiſitores, Conſiliarij Principum, quos ſæpe audiui, & attonitus hæſi, cum non ludicre & diſputandi cauſa, vt primum ego ſuſpicabar, ſed ſerio, & ex animi ſententia plane inde ſe conuincerent tanquam infallibili probatione, confeſſionem Semproniæ neceſſario eſſe veram debuiſſe. Sed

Resp. Ingens inaduertentia eſt, putare hinc id firmiter probari & ſibi ſatisfacere: nam ecce ſic res habet: non ignorabat Sempronia, quod toti pago, atque etiam pueris conſtabat, illo atq; illo tēpore eam vaccam eſſe mortuam, eum puerum contabuiſſe, ac ſimilia quędam, quæ in pago contigerant: cum igi-

igitur vrgeret dolor ad aliqua maleficia edicenda, tum ea quæ iam ante ſciebat eſſe facta, à ſe eſſe facta dicebat: Quid hic eſt miri? Prudentiſſime quidem Conſtitutio Criminalis Carolina Articulo 60. notat, tum credendum eſſe quæſtionibus; ſi ea dicantur, *quæ nemo innocens dicere, ac ſcire potuerit*; ſed obſecro an hæc nemo innocens ſcire potuit, quæ omnibus in pago nota erant? Similiter dicendum, cum ſimpliciores quidam, omnino reas eſſe quaſdam arguunt, quia narrauerint & ſciuerint ea omnia, quæ in conuentibus Sagarum fiunt: nam quis hodie ea non ad nauſeam audiuit? an non omnium plectendarum confeſſiones publice ad bancum Iuris legi ſolent? vt mirer Iudiciales quoque perſonas ex his interdum argumentari. Quare repeto argumentum meum inſolubile quod ſæpe ſoleo: ſi tam inopis Iudicij homines & tam parum perſpicaces Iudiciis publicis, & Principum Conſiliis præſunt, quis abſoluat nos prudentiſſimo metu, ne parum ſane innocentibus conſultum ſit, vbi

Digitized by Google

vbi ad talium arbitrium res gerentur? Et quid fiet, ſi imperitiæ ſe comitem iungat impetus, & affectus? Quo ſane multos non carere, ipſe deprehendes, ſi lubeat: nam vbi paululum modo hæc eis propoſueris, & quæ afferre ſolent refutaueris, notabis eos excandeſcere; vt mihi referunt qui experimentum ſæpius ſumpſerunt. Itaque & refutari vident ſua, nec poſſe ſubſiſtere; & nihilo minus procedunt tamen.

Argvmentvm IV: At ſaltem ſi Sempronia accuſet Gracchum, quod eum V. G. viderit in ſaltu tali loco & tali die cum tali perſona & tali veſtitu, &c. vel quod ab eo didicerit tali loco, tempore, &c. tum deinde poſtea captus Gracchus eaſdem omnes circumſtantias de ſe dicat, quas dixit alter; quis manibus non tenet tunc, & comprehenſam veritatem habet?

Resp. Sane quidem: ſed obſecro, vbi id contigit? vbi tandem? cupio enim ſcire. Diligenter inueſtigo hactenus ſicubi exemplum reperiam, nec inuenio. Sciant Principes imponi ſibi ab Offi-

ficialibus; dum huiuſmodi crepant quæ falſiſſima ſunt, aut vt mitius loquar, nouæ loquendi phraſes. Quod ſiquando in eorum protocollis ſimilia continerentur: ſciant id eueniſſe, his ſequentibus modis:

1. Suggeſtione Quæſitoris, de quo dixi ſupra dub. 20. qui iuxta confeſſionem denuaciantis denunciatum dum torquetur in eadem illa puncta, & circunſtantias, ſi non caſu incidat, quaſi manu tunc (vt ita loquar) & intento digito ſciſcitando ducit: nam hanc per me & alios ad id clam deſtinatos obſeruaui arcem eſſe doli, & caput artis.

2. Quod ſi Quæſitor nil tale ſuggeſſit; ſuggeſſit ante lictor, prout item *ibidem* dixi dub. 20. rat. 11. Vnde repetat Lector, & ſciat me, quæ dico, iuratis teſtibus probare poſſe ita geri. Quod autem de lictore dixi, idem dicendum de cuſtodibus carcerum, qui item captiuis omnibus narrant quæ alij faſſi ſint.

3. Si nec lictores nec cuſtodes carcerum ſuggeſſerunt, tum ita factum eſt: emanauit à perſonis iudicialibus, quid

Sem-

Sempronia contra Gracchum effata ſit, & ad Gracchum id relatum eſt. Iam enim & mihi his diebus à non vno narrantur, quæ hi & iſti Rei confeſſi ſint, quas denunciarint; ſed & ipſæ denunciatæ, cum hæc de ſe audiunt, à me conſilium petunt, an ſubſiſtant, an fugiant? quid mirum igitur ſi deinde captæ norunt in quibus accuſatæ ſint?

4. Lepidum nuper accidit, vt in pago quodam aliqui torqueretur in domuncula quadam, vbi foris ad rimas pueri adiacerent, atque omnia audirent: quis tum ignorauit quid de ſe, atq; aliis torti denunciarint? quæ puncta, atque circunſtantias adiecerint? Imo in multis locis fit idem.

5. Sunt & alij modi, per quos fit, vt cum accuſantibus accuſatæ in nonnullis aliquando rebus congruant, quos ipſæ norunt dicere, & in particulari non poſſunt omnes hic adduci. Satis eſt hæc fieri, quæ dixi; vtinam ea Principes curent intelligere: qui id ſaltem hinc ſat diſcunt, quid factum eſſe cogitare debeant, cum Inquiſitores clamant de-

nun-

nunciatas in eadem puncta & circunſtantias in quibus accuſatæ erant incidiſſe; nam vel falſum eſt, vel iis modis, quos dixi, factum eſt.

Pro concluſione obiter inſero quod nuper accidit: Excurrit ad me mulier honeſta ex pago ſuo conſilij capiendi & generaliter confitendi cauſa: ait ſe denunciatam aliquoties, hęc & iſta de ſe dicta eſſe: fugere ſe nolle, ſed redire; quod & ego ſuaſi, quia exiſtimabam iure capi non poſſe: præcipue autem angebatur; ne ſi caperetur, tormentis victa mentiendo ſe damnaret: dixi ego; non peccare mortaliter qui ita contra ſe mentiretur: rediit igitur in pagum ſuum ſequenti die, & mox capitur, torquetur, dolori cedit, optimeq́; ad mortem parata moritur. Ait deinde Inquiſitor Sacerdoti qui eam eduxerat, viro docto, & religioſo, quiq́; penitus nocentem ex indiciis oſtendebat, eam adhuc non fuiſſe condemnandam, niſi id vnum punctum acceſſiſſet, quod ad me ad duas, aut tres Leucas excurriſſet; nam hanc ille plane fugam fuiſſe conten-

tendebat, ac proinde grauiſſimum indicium culpæ: nec ad me ſcilicet mitti poterat, vt, an ita eſſet, intelligeretur. Ecce qui proceſſus!

* Audi Lector: Eſt quod te moneam: Hoc loco enim commode lecturus videris APPENDICEM illam de Tortura, quæ infra habetur in libelli huius fine.

## DVBIVM XXIX.

*An tortura, cum adeo periculoſa ſit, ex vſu tolli debeat?*

RESPONDEO, Docui ſupra in extirpandis ex agro Reipublicæ zizaniis ea plane remouenda eſſe, quæ morale & frequens periculum inuehant ſimul euellendi tritici. Ita ratio naturalis, ita ipſe legifer noſter Chriſtus, illiusq; verborum in Eccleſia Catholica legitimi interpretes aiunt; vt negari non poſſit.

Docui præterea torturas ſeu quæſtiones ita hodie adminiſtrari ſolere, vt reuera frequens & morale periculum ipſi

tritico minentur, quod adeo verum eſt, vt de facto ita ſæpiſſime accidiſſe ac triticum plurimum euulſum eſſe iurare audeam mihi moraliter eſſe certum.

Quibus tanquam maiore & minore propoſitione firmiter collocatis, conclusio in bona forma figuræ primæ neceſſario infertur, *tollendam igitur penitusq́; ex vſu proſcribendam eſſe torturam: Aut ſaltem ea omnia & ſingula corrigenda, aliterq́; moderanda, quæ hanc periculi neceſſitatem torturis imponunt. Alterutrum euadi non poteſt.*

Atque hanc doceo Principes conſcientiæ rem eſſe, quam non ipſi ſolum, ſed & eorum Conſiliarij & Confeſſarij, ſi diſſimulatione ac taciturnitate ſua prætereunt, coram Iudice ſupremo explicatam dabũt. Nolo vt mihi credant: conſulant Theologos, & inuenient in humano ſanguine ludi non poſſe, nec capita noſtra eſſe pilas, quas pro libitu leuiter temereq́; iactare liceat, vt nunc quidam optimorum Principum non optimi Inquiſitores facere videntur, cum ad leuiſſimum quemque ſuſpicionis ru-

mu-

muſculum ad adeo periculoſas torturas proſiliunt: & quidem illos etiam in quęſtiones vocant; quorum apud omnes probitatis & integerrimæ vitæ fama vel grauiſſimis indiciis elidendis ſola ſufficeret. Vbi nunc quod in iure metus torturæ ipſi torturæ æquiparatur? quodq́; grauiſſimi auctores hunc ſolum incuti ſufficere putant? Cur non id potius amplectimur, & non niſi ſeueriſſimi eſſe volumus in re tam periculoſa? Quicquid ſit, ad hoc quamprimum Principes animum conferant; vt omni qua poſſunt & ſua & ſuorum Conſiliariorum induſtria, tum quæſtionibus moderationem, tum innocentibus maiorem ſecuritatem inueniant: Syllogiſmus quem dedi bonus eſt; ſtringit concluſio; & vel tolli quæſtiones, vel abſq; dicto innocentum periculò exerceri conuincit: Alterutrum horum effugere non eſt; viderint quid agant. Imus omnes ad æternitatis tribunal; vbi ſi de quouis verbo otioſo explicanda ratio eſt, quid par eſt de humano ſanguine exiſtimare? Vrit me charitas,

& incendio interiore vexat, ne non omni ſtudio iis me incẽdiis interponam, quæ metuo ne ſiniſterior quis flatus etiam in immerẽtes impellat. Argumentum eſt quoddam penes me, occultum adhuc; reuelandum ſuo tempore ac loco; quo id mihi penitus perſuadeo, vt nullatenus dubitem, inter quaslibet QVINQVAGINTA ad rogum condemnatas, vix quinque aut vix duas nocentes intereſſe. Audiat vero quiſquam Magiſtratuum id manibus palpare velle, dabo operam ſuo tempore vt palpet; nam & ſupra promiſi dubio II. ratione 8. Sed fruſtra.

NB

## DVBIVM XXX.

*Quæ præcipue documenta Confeſſariis Sagarum tradenda putemus?*

RESPONDEO, Rogabat me nuper Sacerdos quidam Sempronius, vt quoniam videretur ad reorum confeſſiones adhibendus, breuiter inſtruerem in nonnullis, quę vtilia ſcitu eſſent. Negaui primum, & ſane cauſam dedi. Nam, mi Sempronij, inquam; perſuaſum

ego

Digitized by Google

ego quidem habeo, qui Confeſſarij partes apud incarceratos hoc tempore in periculoſiſſimis Sagarum cauſis fungi velit, officium hoc eius eſſe, vt medius intercedat, non inter Reos & Iudices, vt moriantur; ſed inter Reos & Deum, vt qualeſcunque fuerint, ſeu nocentes, ſeu innocentes, ſaluentur; Suum ſibi forum Iudices habeant, Sacerdos ſuum. Vel igitur officium hoc tuum facturus es, vel non facturus: ſi hoc poſterius, nolim inſtruere qui quod inſtruendus ſit amplecti non velit; ſi prius autem, inſtruere non eſt neceſſe; Illico te cura omni Iudices abſoluent, ac de alio ſibi prouidebunt, qui fora confundat, quæ exempla non pauca vidi: Vt proinde non ſit, quod quenquam inſtruam, cum vel vti non volet, vel vti non poterit. Refutauit me tamen ille, cum ſic inſtaret: Ego vero, inquit, quod officium boni Sacerdotis eſſe cognouero, facturus ſum. Vel tum me retinebunt, vel amouebunt; ſi prius, fruar vtiliter inſtructione; ſi poſterius, non inutilis quoque fuerit, cum id inde confirmatius euadat

quod iam ante perſuadere vis, timendum ſcilicet, ne iniqui multi Iudices ſint: quippe cum id præſumi poſſit, ſi nec conſcientiis reorum niſi per imperitos, & officij ſui immemores conſultum velint. Itaque ſequentia fere documenta ſunt, omiſſis aliis iam tum notis, quæ maxime notari proderit.

DOCVMENTVM I. Quando audio, nunc paſſim ad has cauſas adhiberi religioſos, curent eorum ſuperiores vt eos mittant qui Chriſti Domini noſtri ſpiritu ſint prediti, mites, manſueti, deuotionis laude commendati, iudicij accurati, & probatæ prudentiæ in Domino, quiq; animis hominum occupandis, pernoſcendis, ſcrutandisq; cordium ſecretis, tum & conterendis peccatoribus operam & experientiam ſumpſerint: Non impetuoſi, nec affectibus ſeruientes, ſed omnia ad libellam rationis & doctrinæ expendentes. Curent etiam *per adiunctos eis ſocios diuerſos* intelligere, nunquid iudicentur imprudenter, aut ſecus gerere? plurima enim ſæpe admittunt nimis quam corrigenda.

Do-

DOCVMENTVM II. Confeſſarij ad carceres deſtinati poſtulent inprimis directionem à liberaliſſimo Patre luminũ, commendent deinde ei animas liberatoris noſtri ſanguine redemptas, agant denique cum reis ipſis ſuauiter & paterne, vt ad veram eas pœnitentiam adducant, ſeu reas ſe faſſæ ſint, ſeu non ſint. Nec de hoc vt fateantur eis primum facient mentionem, ſed differant, & prius in genere ea afferant quæ ciere contritionis motum poſſunt: explicent iis cum aliquo affectu & facundia Chriſtiana, qui noſter ille mitiſſimus ſit DEVS, Pater miſericordiarum, & totius conſolationis, qui vel vnigenito ſuo pro nobis non pepercit. Adducatur Parabola indulgentiſſimi illius Patris, qui reuertenti filio ſuo perditiſſimo ſe in collum lachrymans infudit, & quantumuis antea peccatis filij conſtrictum pectus, in omnem nihilominus clementiam diſſoluit. Non eſſe DEVM noſtrum qui Dij ſunt Gentium, qui iras ponere non poſſit: captum ſemel incredibili humani generis amore longiusprogreſſum, quã

vt reuocare amoris ſui pacta nũc liceat: Exſtare in Diuinis libris pacti æterni iuramentum eius irreuocabile per ſemetipſum: Quia ſi fuerint peccata noſtra ſicut coccinum, quaſi niuem tamen dealbanda fore: ſed & Aduocatum apud eum eſſe filium eius vnigenitum crucifixum, qui & nouerit figmentum noſtrum, & vero cauſam noſtram quantumcunq; grauiſſimis criminibus confoſſam, ſua aduocatione erigere, ſuſtentareq́; velit, &c.

His & ſimilibus magno ſtudio laborent ſingulos ad dolorem de peccatis concipiendum, agendamq́; ſeriam pœnitentiam inuitare. Neque enim negare ſe Legifer noſter poteſt, vt non animos quorumcunque peccatorum, ſaluberrima compunctione frangant viri ij, quos ſe hominum piſcatores facturum, ipſe verbis veris pollicitus eſt: Clariſſima verba ſunt, & oracula Filij Dei, quibus fidem detrahere, naufragari eſt in fide. Hac igitur ſponſione ſubnixi Ius ſuum ſibi vendicent: vſurpent, datum ſibi miniſterium reconciliationis: redu-

Digitized by Google

reducant per contritionem, qui per vitæ licentiam à Deo longius aberrarint. Ita enim fiet, vt peccatorum vinculis attritis, mollitisq; animis per colloquia ſanctorum, nihil obſtet quin omne virus non ſolum ad ſacrorũ Sacerdotum, ſed etiam Iudicum tribunal facilius effundant. Hæc eſt enim contritionis ſeu pœnitentiæ natura, vt vbi in animum recepta ſemel eſt, obſtinatio & taciturnitas (ſi modo verę Rei ſunt, quód quærendum non ſupponendum eſt) habitare non poſſint. Optimum hoc & ſuauiſſimum torturæ genus eſt ad vocem ſoluendam. Hic artem ſuam exerceant Sacerdotes illi, de quibus ſupra cõquerebar: & ſi zelum Dei habent, non prius Iudices inſtigent ad expediendas torturas illas ſæuas & ſæpe nimium crudeles, quam ipſi hac ſua tortura ſacra vſi ſint, id eſt, ſalutari de peccatis compunctione animos Reorum lacerauerint: Hic acuant ingenium, & vires ſuas omnes explicent, vt ſaxea multorum pectora diuini ſermonis vi, & impetu ſpiritus comminuant. Nec eſt denique,

quod Sacerdotes probos & ferventes non paulo plus docebit, quam ſi Iudicum ſæuitiam imprudenti inſtigatione excandefaciant. Nam inuehere inhumaniter in captiuas & afflictas: identidem illis moleſtum eſſe, & quaſi certiſſimo de earum reatu iam conſtet, nullam eis ſinere quietis partem: odioſis cognominibus laceſſere: apud Iudices traducere, & ſimilia quæ ſupra memorata ſunt dubio 19. Non eſt ſane quiſquam in foro rabula tam hebes, qui non æque poſſit. At vero pertinaciam hanc talem diuina vi ſermonis frangere, mollire animos, cor impœnitens compungere, nemo poteſt, niſi manifeſto Dei ſpiritu inſtructus.

Docvmentvm III. Non probo igitur Confeſſarios, qui hoc primum hoc vltimum imo ſolum agere videntur, vt modo confiteantur rei, nil celent. Itaq; non niſi Confiteri, & Confiteri ingeminant: cæterum autem de Conuerſione ſeria ad Deum, de dolore animi vehementi, de deteſtatione peccati ſuper omnia, vix tenuiter meminerũt, nedum

vt

Digitized by Google

vt præcipuum hic conatum & ſollicitudinem adhibeant quo tales actus, tam difficiles, à peccatoribus & quidem talibus, ſi vere rei ſunt, impetrent.

Itaq; dum Confeſſi duntaxat rei ſint, id eſt, omnia peccata ſua ad lõgum & enucleate recitauerint, iam ſalua & tuta ſunt omnia; iam appellant filios æternæ vitæ, iam vere pœnitentes moriuntur, quicquid tandem ſit de contritione. Exiſtimo autem ego, niſi me Theologiá mea fallit, non ita facile reconciliari poſſe infinitam Maieſtatem; ſed inſigni quadam opus eſſe ſollicitudine, ad non vulgarem animi dolorem, preces, gemitus, & clamores cordis cum confeſſione coniungendos.

DOCVMENTVM IV. Non putant plerique expedire, vt rei antequam in foro externo cauſam ſuam tranſegerint, ad internum vocentur; ſed ſuadent eo vſque hoc differri, dum in externo omnia liquida ſunt, ita Delrius lib. 6. c. 1. Sect. 3. atque vſu fere ordinario recipitur.

DOCVMENTVM V. Expedit tamen, vt paulo ante dixi, per viſitationes

& col-

& colloquia Sacerdotum Reos diſponi ad pœnitentiam, compunctionem, & ſeriam ad Deum conuerſionem, cum primum fieri poteſt: id enim profuturum ſcio, non ſolum ad confeſſionem ſacramentalem, ſed etiam profanam, quæ hac via tutius feliciusq; quam per torturas obtinebitur. Et ad Sacramentalem quidem omnino hæc compunctio neceſſaria eſt, vt præcedat: Sacramentalis enim eſſe non poteſt, nec ad ſalutem proficua, niſi ex præuia compunctione orta ſit: illius hæc filia debet eſſe, aut eſſe non poteſt. Vnde rurſum confirmo quod dicebam; id potius laborandum Confeſſario, vt conterantur Rei, quam vt fateantur. Nam fateri quid attinet, ni contriti ſunt? ſi contriti autem, iam ſponte ſequitur confeſſio, ſi quidem ſunt Rei.

Docvmentvm VI. Etſi amplecteremur ſententiam Delrij, docentis, licere Iudici æquiuocatione ſermonis, aliove quo dolo bono reos circumſcribere: id id tamen fieri à viris ſpiritualibus nullatenus permitteremus.

Ra-

Digitized by Google

Ratio eſt, ne miniſterio eorum, atq; ordini inuratur nota, quæ non tam facile ſeculari Iudici adhęreſcit. Scio contigiſſe, vt cum Sacerdos quidam Reo cuipiam æquiuoce promiſiſſet mitigationem ſupplicij, nec eam deinde conſequeretur; ita turbatum eſſe hac deceptione, vt vix tandem obtineri potuerit, vt ante mortem ſe extrema expiaret pœnitentiæ purgatione.

Caueat igitur confeſſor, vt aliter, quã fidelem Chriſti imitatorem decet, in hac re ſe gerat; ne ſe deceptum eſſe quiſquam merito queratur ab eo, quem Dei fuiſſe loco agnouit.

DOCVMENTVM VII. Omnino autem dedecet, ſi viri ſpirituales, vt nonnullos audio feciſſe, ſuggerant Iudicibus torquendi modos, niſi forte mitiores. Lictorum hoc non Sacerdotum munus eſt.

DOCVMENTVM VIII. Sed nec decet, ſi tormentis palam interſint & ſpectent, vt bene monet Delrius lib. 6. cap. 1. ſect. 3 propter irregularitatis periculum, vt ipſe ait, & ſcandalum. Sed interim tamen

men non video, cur non alicubi ex occulto ea arbitrari per rimam, aut feneſtellam poſſint. Ratio: nam aberit & irregularitatis periculum, & ſcandalum cum nemo ſciat: & vere proderit, vt quam cruda & periculoſa ea res ſit, ipſi ſuis oculis vſurpent. Quod ſi concilium Antiſiodorenſe Can. 33. vetat Presbyteris ac Diaconis *ad Trepalium ſtare, vbi Rei torquentur*, id explicandum puto; vt vetet ſtare palam.

DOCVMENTVM IX. Imo vniuerſim non plane negliget prudens Confeſſarius, vt ſcire ſaltem ruditer laboret, quã rite iudiciales proceſſus inſtituantur. Ratio eſt; tum vt ſecundum ea prudentius poſſit cum reis in foro conſcientiæ procedere; tum & Iudices, ſi opus eſſe videretur, officij commonefacere. Ita nuper totidem verbis religioſi cuiuſdam ordinis Viſitator monuit ſuos, qui ad carceres itarent, in Epiſtola quadam encyclica, quam quidam eius ordinis religioſus mihi monſtrauit.

DOCVMENTVM X. Diſplicuit mihi nuper Confeſſarius, qui primo ſuo in carcerem

Digitized by Google

cerem ad quampiam aditu, vt eam tanto melius ad confeſſionem adduceret; denunciabat ei; concluſum eſſe apud Iudices de eius morte, faceret igitur officium. Præclara vtique beneuolentiæ captatio! Exiſtimo enim Sacerdotem dedecere, vt cuipiam mortis nuncium afferat, neque id aptum eſſe medium (niſi forte in plane impœnitentibus ac deſperatis, quibus alia non profuerunt) ad recte hominem Deo conciliandum; cum habeam experientia, pleroſque, aut ſaltem multos, etiam alioqui ſtrenuos viros, audita mortis denunciatione, ita vehementer conſternari, vt ad adeo præclaras mentis functiones ſint inhabiles. Triſtia igitur alios nunciare ſinant Sacerdotes: Ipſi ea afferant, quæ conſolationi eſſe poſſint.

Docvmentvm XI. Laboret autem prudens Cõfeſſarius, vt reorum animos ſibi potius arctiſſime deuinciat; quod fiet, ſi declaret venire ſe, non vt Iudicem, ſed Patrem, qui perſonam acturus ſit paracliti, in ſpiritu Filij Dei. Explicet igitur quid inter Sacerdotum & ſecularium

rium Iudicum officium,&intentionem interſit: Apud hos,ſi qui reus ſit, de pœnis agi: apud illos , de condonatione; Non eſſe igitur quod metuant, quin omnem animum penitus aperiant , & quicquid angat,explicent: agant ſecum fidentiſſime: non ſuſpicētur quicquam fraudis,non diffidant:ſe monſtraturum eſſe eis affectum eum,quem fideliſſimus pater amantiſſimis ſuis pignoribus vnquam poſſit : Condolere vero & compati eorum miſeriis: ſed & tangi dolore cordis intrinſeco, non ſecus, quam ſi propria res agatur: Quod ſi eos adiuuare qua ratione poſſet,non dubitaturum proprio ſanguine ſubuenire : atque igitur, non parum ſibi ægre eſſe, quod id non liceat, nec niſi ſoli animæ prodeſſe poſſit. Et nunc, huic ſane omni ſtudio conſulturum: nunquam vero ſe eas deſerturum, ſed vtcunque res cadant, affuturum ad extremum articulum; erecturum animos,additurum ſpem & robur ne concidant , aut abundantiore triſtitia abſorbeantur ; & id denique omnimodo acturum vt queri nō poſſint,

vl-

vllum ſibi defuiſſe conſolationis genus. Hæc enim & ſimilia, quæ fidelitatem & Apoſtolicum ſpiritum ſonant, ſi propoſuerit; mirifice ſibi reos aſtringet, vt ad hunc velut charitatis funiculum, ſeu habenam duci ſe ſinant quo libeat, prout ſæpe ſum expertus.

DOCVMENTVM XII. Potiſſimum vero eos ſecuros reddat etiam ſtipulata manu, & ſi opus ſit, iuramento appoſito; quicquid ſecum vtpote cum viro ſpirituali etiam extra confeſſionem locuturi ſint, ne verbulum, quod ipſis nocere queat, ſeu quod nolint, ad externi fori Præſides foras effluxurum.

DOCVMENTVM XIII. Imo & iuuerit diſtincte addidiſſe: quod quicquid ſecum agant, id nec ſi maxime nocentes ſint, obeſſe eis poſſit; nec ſi maxime innocentes, prodeſſe. Sibi enim nullum cum Iudicialibus perſonis in his cauſis commercium ſermonis eſſe; nec illos Sacerdotibus in his quicquam credere, aut audire; ſed iuxta propria Iura & ordinem procedere: tãtum igitur ſe inter reos & Deum poſſe mediũ intercurrere;

& quicquid fiat de corpore, id efficaciter agere, vt ſpiritus ſeruetur, & ad illa domicilia perueniat beatorum, quæ cum Dei filius pœnitentibus pollicitus ſemel ſit & mercatus à Patre, iure iam ſuo repeti poſſint à peccatoribus omnibus, etſi alte demerſis. Ita dum nec obeſſe, nec prodeſſe niſi quo ad animam eis poſſe perſuaſerit, quæ ſecum ſecreto communicent; obuiabitur tum iis, qui vt à Confeſſario iuuarentur innocentes eſſe vellent, tum iis, qui & nocentes eſſe mallent ne proderentur, & ad torturas reducerentur. Nam

Docvmentvm XIV. Doceo Confeſſarios vt *certiſſimò* ſciant, *plurimos* eſſe, qui etiam in ipſo ſacramento nocentes ſe, cum non ſint, fateantur: (vt ipſe ſæpius, & alij mecum religioſi viri manifeſte nos ipſos conuicimus) idq; ideo; vel quia importuni Sacerdotes ſunt, quorum impetum aliter euitare non poſſint, de quo repete dicta dubio 19. vel ne, quod dixi, in quæſtiones repetantur. Sic enim ſimpliciores multi exiſtimant, oportere Sacerdotes quæ quomo-

modocunque à reis audiant, perſonis iudicialibus referre, atque ob hanc ipſam induſtriam eos ad ſe expiſcatum mitti: nec, niſi difficulter, quidam in cõtrariam ſententiam reflecti poſſunt, maxime cum & id eis perſuadeant lictores; dum verentur, ne quo modo ſibi prædæ elabantur, ſiquid reuocent apud Sacerdotes. Miſeria hæc eſt oppido notanda, & inſcitia iuuenum Sacerdotum lachrymis deflenda. Atque ego quidem qui ſic in ſacramento mentiti ſint, damnare non auſim: quin potius excuſari poſſe nuper docui, ob ſimplicitatem, perturbationem, & ſimilia. Verum tamen, quod & non reuocent quos complices nominarunt, & vehementiori hoc conſcientiæ ſcrupo preſſi maiore cum dolore (quem quo tectiore cauſa, eo feruentioribus pœnitentiæ ſignis apud Deum conteſtantur) decedant; atque hinc fiat, vt tanto confirmatius & ipſę tam eximie pœnitentes, & alię ab eis denunciatę reæ habeantur, minusq́; exinde dubitet Germania, quin maleficis ſit plena, res hæc admodum conuulſa

 & ab-

&abrupta eſt. Vt neſciam, quid ſatis plā-gam. Porro cum vt dixi, multi metuant vel ex ipſo Sacramento prodi; quid mirum, ſi quādo extra illud cum iis Sacerdotes agũt, plures ſunt qui id formidāt? Itaque mihi conſtat, nonnullos etiam alias prudētes viros magiæ falſo inſimulatos &captos, tum ob eum metum quē dixi; tum quia nihilominus de ſe actum videbant, nec vllam ſolidam Sacerdotum accedentium conſolationem ſperabant, ideoq; præ deſperatione & ſtomacho loqui amplius pro ſe dedignabantur; tum quia alia ratione declinare nonnullorum importunitatem non liceret, non aliter quam pro reis ſe apud quoſcunque extra confeſſionem geſſiſſe: ac cum vlterius multa rogarentur, omnia conſequenter annuiſſe, & finxiſſe, quę cœpta ſemel fabula exegiſſet. Quare cum hæc ipſa deinde ſpirituales illi viri ſimpliciſſimi paſſim ſpargerent, & hinc criminis huius contagionem mire exaggerarent, quid poterat fieri aliud, quam ita omnes in concepta ſemel opinione de multitudine maleficorum con-

confirmari, vt nemini iam ſano de ea dubitare inpoſterum liceat? Longum nimis ſit, ſi hic exempla inſeram Sacerdotum illorum, qui ita turpiter decepti & ſe & alios miris & grandibus inaniis impleuerunt.

Itane vero inter eos, etiam religioſos & Apoſtolicos eſſe viros, qui verſati cum reis multum ſint, atque hæc nondum deprehenderint, ſed iam omnia ſe tenere putent, ſi modo rei eis crimen, ſeu intra ſeu extra ſacramentum, vere ſeu falſo faſſi ſint? Vbi nunc ergo Euangelica illa prudentia ſerpentina? vbi guſtus ille ſanctorum, quo & guſtari quaſi innocentia quorundam poſſet, etſi alia vnde colligeretur deeſſent? Vbi illud Apoſtoli, quod aiebat, *quoniam ſpiritualis iudicat omnia*, 1. Cor. 2. 15.? An non amplius diſtributiones huiuſmodi gratiarum in Eccleſia ſunt? Væ Confeſſariis qui committere ſe rei periculoſæ audent, & non plurima cogitatione omnia verſant, ac crebertimo gemitu dies noctes Deum pulſant, ad obtinenda conſilij & ſcientiæ dona.

Quicquid ſit, animaduertat diligenter Confeſſarius. Et cum non aliter apud reos egerit, quam induta perſona Christi: cumq; eo ſolum reos adduxerit, vt ipſi plane confidant, admiranda quędam ſenſim diſcet, quę adhuc ignorat. Gratias mihi non pauci Sacerdotes egerunt, quod hac vna via apertos ſibi in multis oculos fuiſſe experti eſſent, cum prius neſcio quo impetu rapti aliter omnia exiſtimaſſent.

DOCVMENTVM XV. Non ſolum autem reos ſecuros reddat de taciturnitate ſua Sacerdos, verum etiam reipſa eam ſeuere colat: Ita vt neque quæ extra confeſſionem cum eis agit, temere foras exportet: Id quod ante citatus Viſitator omnes ſuos in dicta epiſtola diſerte quoque admonuit: Et quidem omnino prudenter. Nam rationes iſtæ ſunt:

I. Sic ſæpe incauti quidam, dum conſulere captiuis volebant, nouam eis torturam cauſarunt.

II. Irregularitatis ſæpe periculum eſt, cum facile garrulitate ſua, aliove ſigno, mor-

mortis ſententiam efficaciter promouere poſſint. Sunt enim Iudices plerique, vt ipſe annotaui, & monet quoque Delrius, qui id agunt, vt à Confeſſariis ſignum aliquod captent, quo captiui conſtantes, id eſt, nocentes, innuantur: quod vbi furtim incautis abſtulere (quanquam nunc ſuffurari tale quid non ſit opus, cum paſſim inſulſi Sacerdotes (abſit verbo iniuria) ipſi ſponte perfluant rimarum pleni) tum demum abrupta vlteriore hæſitatione ad condemnandum accedunt: Quo pacto gloriantem nuper Iudicem audiebam, cum diceret; ſe vero ne impingat, in neminem adhuc hactenus capitali pœna animaduerti iuſſiſſe, niſi quem prius à Confeſſario intellixiſſet in culpa verſari: ſatis innuens quam *efficaciter* ad reorum cōdemnationem Sacerdotes concurrerent. Placet Sacerdos ille, vir mihi amicus, quem cum Iudices ſubinde rogant, maneat ne hæc vel illa conſtans, ſic enim loquuntur, reſpondere ſolet: Ego vero, inquit, vt quod res eſt dicam, an conſtans ſit nec ne, an fateatur nec



Digitized by Google

ne, an nocens ſit nec ne, ſane neſcio, neque curo: nam talis an talis ſit, ad me non ſpectat, ſed ad Iudices: Id autem ſpectat, vt qualiſcunque tandem fuerit, nocens an innocens, bona an peſſima, ad cœlum eam ducam: id quod Deo adiuuante pro meo munere me facturum ſpero: de cætero quid me affligam & mittam falcem in meſſem alienam? Ita ille: ſed ni valde ſuauiter & modeſte fiat, offendi Iudices ſolent.

III. Periculum eſt, ne reueletur interdum ſigillum Sacramentale, aut ſaltem reuelari videatur, quod omnino omnes maxime cauendum clamant: neque enim populus diſtinguit quid intra, quid extra confeſſionem acceptum ſit. Vt mirari ſane ſubeat religioſi illius nuperam prudentiam, qui cum eſſet ordinarius reorum Confeſſor (nec de loco, nec de perſona rogare volui) publice de ſuggeſtu in magna populi concione pronunciare auſus eſt: non eſſe quod Magiſtratus vereretur in Sagas acerrime procedere; ſibi enim certiſſimo cõſtare, nullã adhuc eo in loco ad ſuppli-

cium ductam eſſe, quæ culpa vacauerit. Sic ille. Mihi autem ſcire lubet, vnde id ei tam certo conſtiterit? An quia iudicio publico damnatæ erant? Sed id ſcilicet non æque populo erat notum, niſi & ſibi hoc conſtare concionator diceret? Amplius aliquid voluit dicere, & maiori certitudine rem firmare: Sed hæc ipſa maior certitudo vnde erat? An extra an intra confeſſionem hauſta? ſi intra, vbi nunc tandem tam ſacroſancti ſecreti ratio eſt? ſi extra autem, cur id additum nõ fuit, & occurſum ſuſpicioni, ne id dicere ſic affirmate Confeſſarius non videretur, niſi quid altius certiusq; quam communi modo cognouiſſet? Itaque non parum ſcandalizatus eſſe populus dicitur, cum ſolum hoc ſacroſanctum Confeſſarij nomen multorum iudicia inſigniter & merito irritaſſet. Non tam ipſum ego Confeſſarium hunc miror, quam religionum Superiores, qui hos tales in res difficiles exponunt, quos qua ſint iudicij inopia iam tum vtique exploratos habent, aut habere debent. Certe hunc ipſum hominem eo intelli-

gebam iudicio & capacitate inter ſuos habitum, vt in ſtudiis ſuis progredi ob ingenij hebetudinem non potuerit: ſic enim auditores eius deinde veſtigauerant & mihi narrabant. Qua ille igitur prudentia & iudicio cum reis verſatus ſit priuatim, qui ſic publice exiſtimationi ſuæ parum noſſet proſpicere, iudicet meus lector. Sed nimirum, ni hos tales adhiberemus, qui importunitate ſua nimia reos cogerent, vt tandem victæ tædio ad redimendam vexam fateantur quod iſti per fas & nefas volunt, (ſic enim ſolitum fuiſſe eum concionatorē, de quo dixi, audiebam) deeſſent Germaniæ qui inflarent credulitatem Principum de multitudine Sagarum: *Quaſi* vero (quod nuper Iudici cuidam experiundum obtuli) vlla tam innocens mulier eſſe poſſit, etiam quæ omnia lictorum tormenta illuſerit, quam non ſuperare huiuſmodi importunitate, & agendi ratione velim, vt ream ſeſe tandem apud me cōſtituat, ſi id intendam. Sed prohibeat me Deus. Porro imperitos huiuſmodi Principes audiunt, & ſequun-

quuntur: cum tamen quidam diceret, ſibi difficile non fore, in eo ipſo loco, quo is homo iactabat innocentem periiſſe nullum, oſtendere periiſſe plures. Sed ne tale quid vnquam à quoquam oſtendatur, abunde cautum eſt, quod qui id moliri incipiat, ſuſpectus fiat, aut indignationẽ Magiſtratuum incurrat. Ingenioſiſſimum vero hoc Inuentum eſt inter omnia, quæ in hoc quidem genere habet orbis: nãm ita omnis via præcluſa ingeniis eſt, ne obſcuriſſimis cauſis libere inferre lucem poſſint; quod notandum eſt.

DOCVMENTVM XVI. Quæri poſſit, quid faciat Confeſſarius, ſi (quod impoſſibile non eſt, vt vide apud Tannerum) ex confeſſione vel aliunde, cuiuſpiam innocentiam cognouerit? An indicabit? Poſſet, ſi indicet, periculum enaſci reuelandi ſacramentalis ſigilli, dum ſcilicet alios quoque audiens, de illis taceret: nam innueret tacendo, hos igitur non eſſe qualis prior: Quod ſi periculum hoc abſit, quia V. C. alios non audit, &c. atque etiam putat non fruſtra apud

apud Iudicem ſe laboraturum, nec cauſaturum reo noua tormenta, nec aliud aliquod incommodum ſecuturum, vt ſcandalum magnum populi, &c. non video, cur non modo non poſſit, ſed debeat conari vt ſubueniat; ita enim charitas iubet, & ita Scriptura: *Erue eos,* inquit, *qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes,* Prouerb. 24. 11. Caueat tamen ne innoteſcat aliis reis, Confeſſarium pro innocentibus intercedere, ne occaſionem ſumãt hinc ſacrilege confitendi, vt ante monui docum. 13. Caueat quoque ne contra Iudices quicquam agat aut dicat, ſeu ante ſeu poſt mortem reorum, quod eos infamet, aut iudicia publica perturbet: Si quid erit, id non apud alios, ſed ipſos proferat, & moneat: cum hoc vtique Apoſtolicos viros non dedecere dicat Apoſtolus, cum ait: *An neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* 1. Cor. 6.

Docvmentvm XVII. Nec minus quæri poſſit quid agendum, cum quis alios innocentes denunciauit tormentis coa-

ctus?

ctus? Res intricata: ſic tamen dicendum: ſeu grauiter peccatum ſit, ſiue non ſit, quod quis tantis tormentis victus, innocentibus culpam afflauerit; hoc tamen certum eſt, teneri eum vt id reuocet *quam efficaciter poſſit*. Cum autem Iudices nihili faciant (Quam recte ipſi viderint, & tu vide infra dub. 40.) reuocationem eam, quę fit à reis poſt latam ſententiam prope mortem; tenebitur vt reuocatio ſit efficax, reuocare tempeſtiuis ante latam ſententiam; & hoc quidem iuxta communem ſententiam, etſi metuat ſeu prouideat ſe ad pęnas reuocandum: quia in pari ſui & proximi neceſſitate rationem potius habere debet innocentis cui fecit iniuriam dum eum falſa accuſatione inique læſit.

Docvmentvm XVIII. In hoc vero caſu, ſi Titius ob apprehenſionem pœnarum adduci non poteſt, vt ſub tanto diſcrimine palinodiam canat, difficultas exiſtit: dicam quod ſentio: Nam

1. Inprimis; quid ſi dicat Titius, reuocationem quam immediate ante mor-

mortem ablato tormentorum metu facere palam cupiat coram populo, merito ſufficere, quippe quæ æſtimatione prudentum maximi ſit momenti, ac proinde de ſe efficax? quod ſi vero vitio Iudicum inefficax ſit, ac proinde delati non eximantur, id Iudicibus, non ſibi imputandum.

2. Deinde; quid ſi Titius tempeſtiue in carcere reuocationem faciat, ſeu voce ſeu ſcripto coram Sacerdote ſuo, & altero adhuc teſte: atque hic poſtea cum euanuit tormentorum metus, id eſt, vel immediate ante, vel poſt Titij mortem, reuocationem hãc exponant à Titio pręſenti animo in conſpectu Dei & teſtium factam? an non hæc ſaltem ſufficiens & valida cenſeri debet? & ſi nondum admittere eam Iudices velint, excuſatus apud Deum Titius eſt, & illi ſi contra denunciatos procedant, iniqui homicidæ ſunt?

3. Denique; quid ſi clare oſtendam Titium feciſſe, quod in ſe eſt, & quicquid tandem ab eo poſtules, non tamen futurum, vt ſemel accuſati vlla reuoca-

uocatione exculpentur? Nam quid Titium vis facere? An reuocare tempeſtiue apud Iudicem, & reductum in quæſtiones, eas conſtãter elidere perſiſtendo in reuocatione., vt habet ſententia communis, & paulo ante dixi? ſed hoc fruſtra: nouit iam imbecillitatem ſuam, ſcit certo futurum, vt quæſtiones eas non toleret, vti nec priores tolerare potuit: Rurſum igitur dolori cedet, & reuocationem ſuam damnabit: ac ſic redibitur quo prius, in eaſdem miſerias: imo tunc tanto amplius accuſati habebuntur nocentes.

Pœniteat igitur, & Deo commendet, & reuocet iis modis quibus poteſt, & dixi. Si Iudices id non curant, ipſi viderint. Id vero dolendum vehementer, quod cum plurimæ metu repetendorum tormentorum non audeant reuocare denunciatas, valde exaggerent Iudices, has vtique certiſſimo nocentes eſſe, *cum tam multæ pœnitentes ſuper eis mortuæ ſint*: quis enim hæc audiens vim magnam non putet in his locutionibus ineſſe? Et tamen quæ vis inſit,

ex

ex dictis ſatis patet, & infra adhuc patebit.

Docvmentvm XIX. Proderit porro Confeſſariis reorum, totum hunc noſtrum commentarium non oſcitanter legiſſe, & quæ dicuntur, coram Deo ſæpius *cum aliqua mora* expendiſſe. Ego id cum iuramento depono, *me quidem nullam hactenus ad rogum duxiſſe, de qua omnibus conſideratis prudenter ſtatuere potuerim, fuiſſe ream.* Idem ego à duobus aliis accuratis Theologis audiui; Neque non omnem tamen Induſtriam adhibui, qua ad veritatem penetrarem, vt dixi ſupra dub. 11. rat. 3.

Dicam aliquid, quod audire cupiam quicunque aures audiendi habent, maxime vero ſacratiſſimum Imperatorem, Principes, eorumq; Conſiliarios: Fingatur enim de induſtria atrociſſimum ali-
NB quod exceptum crimen quo noceri ſibi vulgus apprehendat, atque eius deinde diſperſa fama in id Inquiſitores ſeſe accingant iiſdem viis, quibus nunc in maleficia: Aio ſane; ſi in Germania paulò poſt pauciores erunt eius criminis

rei,

rei, quam nunc magiæ, ſiſtam me ſummo Magiſtratui & in flammas viuus iniiciar. Atque ego quidem ſi his ipſis verbis vtentem audiam vel ignorantiſſimum de plebe, vereri ſane incipiam, ne non ſine magnis cauſis quas ipſe norit, ſic loquatur: & ad minimum reflexa mente hæream, & meditatione aliqua dignum putem, quod homo rationalis non plane mente deiectus, ſic confidenter, cum pacatus eſſet, auſus eloqui ſit.

## Dvbivm XXXI.

*An ante torturam mulieres per lictorem tonderi conueniat?*

ANte quam reſpondeam, oro lectorem verecundum, vt dicere cum aurium eius venia mihi liceat, quod & facere ſine pudoris venia liberrime iam alicubi ſolent. Cum enim quæſtionibus ſeu torturis admouenda quæ rea eſt, ſeducit eam primum in locũ proximum infamis lictor, & non modo capite & axillis, ſed & qua parte mulier eſt, accurate detondet, aut admota facula adurit.

Cauſa eſt, ne quid implicitum ſit recularum magicarum, quibus ad tormenta induretur. Igitur

RESPONDEO, Id nequaquam conuenit. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Fœdum eſt id & ſpurcum, quod Chriſtiana & Euangelica puritas meminiſſe non fert.

RATIO II. Coniunctum eſt cum periculo peccandi in homine turpi & obſcœno.

RATIO III. Obnoxium eſt illuſionibus & fœdiſſimis tactibus incontinentium ſcurrarum, præſertim cum quidam ſcriptor, quod miror, nonnullibi ſuſpicionem moueat, an non aliquid etiam huiuſmodi recularum magicarum ſecretius abſconditum ſit: videlicet ne non habeant quod prætendant infames ſcurræ, ſi lubeat eis profundius laſciuire.

RATIO IV. Pernimium graue eſt ſexui natura verecundo, qui non raro mori malit, quam coram infami nebulone ſic enormiter depudêre.

RATIO V. Fruſtra etiam ſuſcipitur, cum

Digitized by Google

cum & contra maleficia alia pia remedia vſurpari poſſint, nec ea noſtro tempore in detonſis vnquam reperiantur quæ iſti quærunt. Quod ſtupeo nondum hactenus nos aduertere, ſed æque cæce progredi, &, quod horret animus meus meminiſſe, etiam ipſos *Sacerdotes* & quidem ſub *Principibus Eccleſiaſticis* lictorum forfici ſubmittere.

Ratio VI. In locis aliis, vbi ea conſuetudo non eſt, non ſane pauciores pyræ fumant, nec minus potens ſine hoc tam fœdo procemio tortura eſt: Vt omnino exiſtimem libidinoſiſſimorum ſcurrarum hoc inuentum eſſe, non honeſtiſſimorum Iudicum: qui ſi quando raſuram hanc omnino neceſſariam arbitrati eſſent, non niſi intra eundem ſexum pudendæ rei adminiſtram quæſiuiſſent, prout exemplum habes apud Damhauderum praxeôs criminalis c.37 Vbi, cum ita neceſſarium viſum eſſet, adhibitæ tonſtrices ſunt.

Ratio VII. Quinimo ne hoc quidem fieri conuenire, hæc vna & ſola ratio merito euincat, quod antiquam hone-

ſtatis laudem Germanis peculiarem ſane effundimus: quę ſola cauſa ſufficientiſſima eſt viſa autoribus Mallei, qui Inquiſitores hæreſum in Germaniam olim à Pontifice miſſi, nunquam vti hac raſura voluerunt, eo quod intelligerent in Alemanniæ partibus (ſic enim loquuntur) rem eam plurimum inhoneſtam cenſeri, licet vt aiunt in aliis regnis id fieri Inquiſitores mandarent. Pudeat Germanos nos, ſi quæ tunc erat peculiaris Alemanniæ verecundia, nec hanc Inquiſitores illi alias ſeueri confundere auſi ſunt; nos deniq; nunc nequiſſimorum ſcurrarum libidini proſtituimus. Attendant Iudices quid velim: Ego enim detondendã huiuſmodi à nequam ſcurra raptim conſtupratam audio, tum mox compendio facula depilatam.

## Dubium XXXII.

### *Quibus de cauſis ad torturam procedere liceat?*

Respondeo, Ante omnia id maxime curandum erit, vt quando tam peri-

periculoſa &acerba tortura eſt, non niſi grauibus ex cauſis, id eſt præmiſſis indiciis admodum vrgentibus, quæ reum velut obruant, ad torturam veniatur. Indicia vocantur à Iuriſperitis ea omnia ex quibus colligi poteſt Titium V. G. crimen commiſiſſe. Ea triplicis generis conſtituamus: *Magna, Maiora, Maxima*, videamusq́; quæ ad *Capturam*, quæ ad *Torturam*, quæ ad *Condemnationem* requirantur.

I. Ad CAPTVRAM requiruntur *magna*. Ratio eſt: nam ex paruis cauſis quempiam in non paruum incommodum, qualis eſt captiuitas, coniicere, cum æquitate ſimul & charitate pugnat. Ex quo ſequitur, quod prout vel ex perſonæ dignitate capiendæ, vel aliunde captiuitas grauior redditur, ita etiam maioribus indiciis opus ſit. Hic paſſim grauiſſime peccatur.

II. Ad CONDEMNATIONEM requiruntur *maxima*, ſeu vrgentiſſima, luce meridiana clariora, quæ plenæ probationes ſint, id eſt, ita probent, & vndiquaque ſatisfaciant, ac plane reos ceu



Digitized by Google

demonſtratione quapiam legitime cõuincant; adeo vt ſi illa habeantur, tortura opus non ſit, imo nec adhiberi debeat, vt communiter docetur. Vide Clarum l.5.q.64.n.5. & Farinacium q.37.n.5. Atque hæc non tam ſolent appellare indicia quam *probationes* per excellentiam, vt vide ſubtiliter diſtinctum apud Farinacium loco citato: qui tamen cum ibidem inter indicia luce meridiana clariora, & probationes luce meridiana clariores diſtinguit, nimis ſubtilizat & ſine cauſa.

III. Ad TORTVRAM magna non ſufficiunt, cum multis modis grauior ſit quam captiuitas, maxima autem ſeu probationes plenæ non requiruntur, ſed ſufficiunt & requiruntur quæ *maiora* diximus, adeo firma & clara, ac *pene certa*, vt merito prudens quiſque iis multum fidere poſſit, vt communiter omnes tradunt: appellantur hodie probationes *ſemiplenæ*, melius tu *fere plenas* dixeris; id eſt, quæ ita probant, vt non plane conuincant, valde autem ad probationem plenam accedant, qua-

quaſi luna cum ad lucem integram vltra ſui dimidium aſpirat: ita vt *fere*, ſeu *quaſi* moraliter certum ſit, ait Leſſius cap.29. dub. 17. nu. 151. ipſum autorem eſſe, qui huiuſmodi probatione vrgetur, nihilq́; deeſſe videatur ad plenam certitudinem, quam *ſola* rei confeſſio. Verba legis ſic habent: *Ad tormenta ſeruorum ita demum veniri oportet, cum ſuſpectus eſt reus, & aliis argumentis ita probationi admouetur, vt ſola confeſſio ſeruorum deeſſe videatur.* Ita lex 1. ff. de quæſt. ad quam vide Mynſingerum. Lege etiam pro noſtra reſponſione Proſperum Farinacium q.37. n.3. plures citationes legum & autorum nos omittere ſolemus, ne lectori moleſti ſimus.

Illud tamen hic notandum eſt, quod indicia ad torquendum non ſolum eſſe debent qualia diximus, quæ virum cordatum moraliter *fere* ſeu *quaſi certum* reddant; ſed etiam debent eſſe *plene* & *concludenter* in ſuo genere per duos teſtes legitimos probata, ſecundum gloſſam ſingularem & ordinariam in l. final. in verbo vel indiciis, C. familiæ

ercifcundæ, quam gloſſam cum Bartolo, Baldo, Saliceto, & pluribus aliis ſequitur Farinacius q.37. num.17. & ſeqq. ita vt ſit ſententia penitus recepta, & in Iudiciis ac ſcholis canonizata, vt dicit Brunor. à Sole in ſuo conſ. crim. nu.111. ex Alci. in conſ.465. num.1. Quod ſane & in atrociſſimis ſeruandum, recte monet Maſcardus in tract.de prob.l.1.concluſ.462. n.18. & Farinacius loco citato, ac facile colliget lector ex iis quæ nos infra dicemus dub.37.

## DVBIVM XXXIII.

*Cuius ſit arbitrari quæ indicia in ſpecie talia ſint vt pro fere plenis probationibus haberi poſſint?*

RESPONDEO, Cum vna generalis hac ſuper re dari regula non poſſit, quæ indicia in ſpecie torturæ viam aperiant, id eſt, fere-plenæ ſint probationes, ſunt qui velint id ad cuiuſque Iudicis arbitrium pertinere. Ita Brunus in tract. de indiciis & tortura p. 2. q.3. ſed tantam Iudici in re ardua concedi licen-

Digitized by Google

licentiam, periculoſum videtur Mynſingero in l.1. de quæſtionibus: & merito, neque enim ignotum eſt, quos ſæpe Iudices habeamus. Lege Tannerum Theol. tom. 2. diſput.4. de Iuſtitia q.5. vbi ad longum egregie oſtendit, quam periculoſum ſit, in his cauſis multa Iudicum arbitrio permittere. Exiſtimem ergo ſequendam eſſe laudabilem quorundam iudiciorum praxin, quæ indicia huiuſmodi vnius & alterius Academiæ examini ſubmittunt, earumq; ſententiam amplectuntur, neminem vt in equuleum coniiciant, cui non illæ torturam decreuerint. Tutius eſt id in re periculoſa, cui nulla ſat magna adhiberi diligentia poteſt.

Dices, Res hæc nimiæ operæ ac ſumptuum futura eſt, nimiumq; retardabitur curſus in zizaniis his euellendis, ſi ad quamlibet torturam Academiarum iudicium ſit requirendum.

Resp. I. Non opus eſt requirere ad quamlibet in particulari, cum multæ iiſdem indiciis nitantur, & ex paucis de multis pariter iudicari poſſit.

Resp. II. Quid tum autem etſi mora aliqua iniicitur proceſſui, dum tanto tutior euadat? An igitur moram malunt aduerſarij quam periculum vitare? Sententia erat Chriſti, vt ſupra viſum eſt, ad euitandum periculum omnino abſtinendum ab euellendis zizaniis eſſe, nedum ſiſtendum ſubinde, & tardandum. Quid autem operam ac ſumptus cauſamur in re tanta? an vllibi autem hæc melius, ac tutiore conſcientia ſumuntur, quam cum agitur de tollendo periculo à corpore, vita, ac fama innocentum? An plane igitur & ſimpliciter procedere, vrere, cremare iſti volunt, ſeu id periculoſe fiat, ſeu non fiat? Ego vero ſic exiſtimabam, hunc eſſe genium Chriſtianæ legis, vt gauderent potius, cuperentq; Iudices pauciſſimos reperiri nocentes, quam id agere atrociſſimis expeditiſſimisq; tormentis, vt quam pauciſſimi innocentiam tueri poſſint. Nouit Deus, ſi non iſtud tandem erit ſub ſpecie Iuſtitiæ terrarum orbem interficere. Audiebam nuper vocem ab Inquiſitore non tamen cali-

Digitized by Google

calidiſſimo, ſed quem hoc tempore vel tepidum eſſe plerique omnes fatebantur; quæ, vt verum fatear, non parum mihi diſplicebat, vtpote ex qua facile ad Iudices alios calidiores argumētum ducebam. Cum enim ſic familiariter in hanc materiam ingrederemur: Fateor, inquit, deberent quidem hæc talia moroſius tractari & expendi, deberent ventilari, & diſceptari, deberet etiam dari ſufficiens ad defendendum & agendum tempus, ac ſimilia. Sed tum ſane progredi non poſſemus: ſatis, quod hęc hodie ſit praxis, nolumus ſic ſcrupulari. Sic ille: Itaque hoc innuebat, ſi facerent Inquiſitores quod deberent, non ita crematuros eſſe, vt tamen igitur cremarent, curandum eis eſſe, ne quomodo facerent quæ deberent; perinde ac ſi ſic diſcurras, ſi oculos aperirent homines, videre poſſent; ne igitur videre poſſint, vt ne oculos aperiant curandum erit. Præclara res! Et tamen tum Inquiſitores, tum ſummi Magiſtratus in altiſſima conſcientiæ pace ſedent, & exporrectis pedibus dulciſſimos huiuſmodi

modi ſuorum Officialium diſcurſus audiunt: applaudentibus interim etiam ſpiritualibus viris quod inſigni zelo Germaniam expurgent. Hoc ſiquis deploret, & audiri poſtulet, ac cum ratione & ſine præiudicio rem altius diſcuti optet, an tot vbique ſint Sagæ quot putantur? is repellitur & ſuſpectus fit, atque in equuleum mitti dignus eſt. Exundat mihi ſanguis, cum iterum occurrit memoriæ, atque iterum hodie nominari audio iniquiſſimos illos Inquiſitores, qui, vt ſupra retuli dub.9. rat.8. religioſiſſimum Theologum Tãnerum in equuleum mittendum dicere auſi ſunt, quod prudentiſſime de proceſſibus contra Sagas ſcripſiſſet: Hoc vnum ex eorum indiciis eſt ad torturam. Nec culpari poterunt cum facturi ſint diſcurſum paulo ante poſitum: Nam deberemus quidem, inquient, talibus viris non ita leuiter torturam adiudicare, verum ni faceremus; ſed ad Academias primum curreremus rogatum, non poſſet contra eos expedite procedi: Ita hic diſcurſus omnia excuſat.

Lice-

Digitized by Google

Licebit igitur Inquiſitoribus, quod volent.

Et quis mihi det vt Inquiſitor fiam? mox in omnes Germaniæ Magiſtratus, Eccleſiæ Prælatos, Canonicos, & Religioſos inquiram; facile ſtruam calumniam aliquam: ſi defendere ſe volent, non audiam, coniiciam in neruum, torquebo exquiſite, cedent pœnis, & ecce, inclamabo, vbi malefici latebant! quam hoc occultum crimen eſt! quam tecte ſerpit! Quis me autem iure reprehendet, quod male proceſſerim? dicam enim: niſi ita mihi licuiſſet, iam ſane expedite procedere non potuiſſem nec cremare; vt igitur expedite procederem & cremarem, omnia licebant. Neſcio in quæ tempora deuenimus: nullus iam ſubuenire Germaniæ niſi magnus Cæſar poteſt. Ad hunc ſupplices accedant qui premuntur; neminem is ab ara Iuſtitiæ repellet. Legat is catalogum indiciorum ex quibus paſſim ab Inquiſitoribus nonnullis proceſſum eſt, cum & futilia eſſent, & ridicula, & nec ſat probata, tum autem & accurate refuta-

ta:

rat: & vel omnino fallor, vel ingenti animo exurget, vt iniquiſſimorum proceſſuum libertatem caſtiget. Quanquam, vt hoc obiter notem, quis ſcire poteſt, quidnam rei ad indicia ſibi propoſita reſponderint, & quo pacto refutarint, cum hæc non perſcribantur? vt notaui dubio 18. Corollario 15. Et hoc ſcilicet eſt quod Iudices Academiarum iudicia ſubterfugiunt, ne accuratiores in actis ſuis notandis cogantur eſſe, neve plurimæ ſe ſatis purgaſſe pronuncientur.

## DVBIVM XXXIV.

*An ſola fama, non aliis claris & firmis probationibus ſuffulta, ad torturam indicium det?*

RESPONDEO I. Non dat. Ita Iulius Clarus ſententiarum lib. 5. q. 21. n. 1. cum omni ſententia Doctorum, quos non paucos citat; nos more noſtro omittimus. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Axioma eſt Iuriſtarum & Theologorum, quod fama in criminalibus non probet, ſed ſe habeat inſtar

accuſatoris tantum. Vt igitur non poteſt torqueri quis, ob ſolam accuſationem, ni accuſator aliquam afferat probationem, ita ſimiliter &c.

Ratio II. Fama ſuppeditat Iudici aliam rationem cognoſcendæ veritatis, nempe per Inquiſitionem, inquit Leſſius de Iuſt. & Iur. cap. 29. dubitatione 17. n. 156.

Ratio III. Fama eſt indicium valde remotum à delicto, itemq; valde fallax, vt quotidie experimur, inquit Clarus loco citato, & Farinacius q. 47. cum iis quos citant: *debent autem indicia ad torturam*, verba ſunt Farinacij, *non ſolum eſſe veriſimilia, grauia, vrgentia, probabilia, ſed etiam certa, clara, &c.* Vide quæ nos ſupra dub. 32. vbi diximus debere eſſe talia, quæ rem fere indubitatam, & quaſi certam reddant.

Respondeo II. Adeo aũt verum eſt, non ſufficere ad torturam famam ſolam, vt etiam hodie in crimine Magię ſufficere non poſſit iuncta aliis, niſi iſta alia per ſe ſufficiant: cum fama hodierna nihil eis merito momenti debeat ad-

adiicere. Eſt contra communem hodie omnium Iudicum, & Magiſtratuum ſententiam, & praxin. Sed tenemus, quod diximus, atque hinc non parum confirmamur in opinione de plurima innocentium turba, quæ ſimul abripitur. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Pleraque omnis hodierna fama à rixis, litigiis, contumeliis, detractionibus; falſis ſuſpicionibus, iudiciis temerariis, reſponſis diuinorum, inuidia, irriſione puerorum, ac ſimilibus initiis ortum ſuum ducit; & incredibili garriendi, nocendiq; libidine, quam nulla pœnæ coercitio caſtigat, latiſſime diffunditur: dictat igitur recta ratio, nihil in ea momenti ſtatui poſſe, cum male fundata ſit. Miror ego ſæpenumero, cum cogito in quæ tempora peruerſiſſima incidimus. Plena vbique omnia detractionibus, contumeliisq; ſunt: vt quidque nobis ſiniſtrum occurrit, continuo hæ & illæ quæ nos incantauerint animo deſignantur: curritur ad diuinatores, onerantur ſuſpicionibus honeſtiſſimæ perſonæ, ſpargitur in occulto te-

Digitized by Google

temerarij iudicij virus; tanto vtique nocentius & ſceleſtius, quanto ſecretius ac tutius, dormiente Magiſtratu: ſerpunt ſibili per domos atque vrbem; alij aliis ſe iungunt, dum paulatim vbi vires ſumpſere in apertam, ſed ſpuriam famam erumpunt: Ne tum quidem Magiſtratus euigilat; vt, à quibus didita peſtilentiſſima aura ſit, inquirat: ſed ad ſpuriæ vocis clangorem, in eas ſe accingit, quærit, capit, torquet, reas eſſe vult per fas & nefas, quas iniquus ille rumor oppreſſit. Res indigna! In venenatas primum linguas inquiri oportebat, eas detractoribus & calumniatoribus exſcindi, atque ad infamem columnam ſuffigi: ac cum huiuſmodi aliquot, non dico centenæ (vt æquum ſane erat) ſed vel quinæ, aut ſenæ propalam pependiſſent, tum denique ex clamore famæ ſic ſaltem aliquantulum correctæ momentum aliquod ſuſpicandi arripere, & ſi alia quoque indicia iuſta accederent, procedere. NB

Ratio II. Vt fama publica momentum habeat ad probandũ, ſeu indicium

validum ſit, requiritur & ſecundum rectam rationem, & ſecundum communem ſententiam Doctorum (quorum triginta & quinquaginta, imo plures citare poſſim, ſi opus ſit) vt ea fama iudicialiter probata ſit per duos teſtes legitimos, qui ſaltem 1. ruditer famæ definitionem ſciant, & 2. iurati deponant, ſe ita audiuiſſe à maiore hominum iſtius loci parte; & 3. quod orta ſit ex bono fundamento, & cauſa tali, ac tali, ac à bonis viris, aut ſaltem 4. ſic, vt conſtet non manaſſe eam ex rixis, contumeliis, & ſimilibus ante dictis. Plures conditiones omitto, quas collegit Delrius lib. 5. ſect. 3. Tu vide ſi lubet Iulium Clarum, & Proſperum Farinacium, qui fuſe de hoc tractant. Et hæc propoſitio communiter admittitur, & admitti debet. Sub qua igitur ſubſumo, & concludo ſic: atqui vero nulla hodierna fama circa crimen Magiæ ita probatur, nulla igitur hodierna fama momentum ad probandum habet. Minorem probo duobus argumentis, quorum alterum ex actis, alterum ex ore Iudicum ſumo. Nam

I. Iu-

I. Iubeant Principes omnia ſuorum nquiſitorum acta peruolui, vix inuenient, vllam tot reorum famam ita fuiſſe iudicialiter probatam. Citat Delrius ib.5.ſect.3.inſignes Iuriſtas, qui idem de uis temporibus affirment, nullam vnquam famam legiſſe, legitime probatam, ſic enim ait: *Famam exacte probare, quam Neceſſarium tam Rarum eſt in iudiciis: adeo vt Grammaticus Senator Neapolitanus ſcripſerit, ſe nunquam vidiſſe proceſſum, in quo repererit famam publicam legitime fuiſſe probatam, quod & Iulius Clarus, & Vulpellus, & alij egregij partim Iudices, partim Aduocati aſſeruerunt*. Sic ille.

II. Cum hodie hæc quibuſdam Iudicibus obiicio, ac moneo nõ habere eos famam vnquam legitime probatam, ac talem, qualem Doctores requirũt, cum fundamento ortam: imo reas excipere, & docere vnde primum fama manauerit, nempe vel à rixis, vel puerorum obiurgatorum clamoribus cum quibus iudicio contendere noluerint, vel aliis ſimilibus ex cauſis: cum, inquam, hæc moneo, reſpondere ſolent, non aliam

hodie eſſe praxin: nam ſi ſic exacte ex
minanda fama eſſet, non poſſe ſe vnq
procedere. Sic illi: ex quorum igitur
re ita argumentor, ſi hodierna fama l
gitime probanda eſſet, non poſſent Iu
dices procedere, vt ipſi fatentur: Sed Iu
dices procedunt, non igitur legitim
probatur. Ecce, ex ore ſuo ſe iudican
procedunt ex fama quæ nulla eſt, pr
cedunt ex indicio quod nondum pr
batum eſt, contra ea quæ ſupra diximu
dub. 32. ſub finem. Qui igitur ſunt h
proceſſus? quam ſacroſancta nunc pu
blica iudicia ſunt? quam quadrant cum
recta ratione, cum ex indiciis nondum
probatis, & inualidis procedant? Niſ
id forte inferri recte exiſtiment, quod
quia debeant procedere, hoc ipſo iam
validum incipiat eſſe, quod ante care-
bat valore; & probatum iam hoc ipſo
ſit, quod nondum eſt probatum. Male
hoc, & imperite, ac ridicule: quanquam
non riſu iam, ſed planctu dignum ſit,
cum de hominum ſanguine agatur. *Sic*
enim oportebat inferri: Fama ni legiti-
me probetur indicium inualidum eſt;

ergo

ergo etſi procedere debemus, ex non probata tamen fama non debemus. Non autem ſic: procedere debemus ergo fama inualida fit valida, ergo ex hac procedere licebit: obſecro vnde illi ſubitus hic valor? Vide quæ in ſimili dicam infra dub. 49. Argumento 11. Quare

Si verum eſt 1. quod ſi quis ita tortus ex illegitimo famæ indicio, etſi faſſus crimen fuerit, ac quoque ratificauerit, nihilominus id ei obeſſe non debeat, vt poſt Baldum, Marſilium, Menochium, & plures alios docet Farinacius q. 47. n.10.& q.31.n.119.

Si item verum eſt 2. quod grauiſſime peccet Iudex, qui ex indiciis inſufficientibus torſerit, &, ſi condemnet, homicida ſit, ac teneatur ad reſtitutionem, vt docet Leſſius c.29.dubit.18.

Si item verum eſt 3. quod in noſtra materia (verba ſunt Delrij lib.5. ſect.3.) *plerumque contra Sagas & Striges ex famæ indicio procedatur*, videant hodiernæ Iuſtitiæ adminiſtri, & ſi quidem hi incurij & imperiti ſunt, ipſi Principes, qui

tales conſtituunt, atque vrgent vt procedatur, qua ratione in cõſcientiis ſubſiſtant. Meum fuit monere: hoc charitatis eſt, hoc officij Chriſtiani: odit proximum non amat, ſi quis & periculum ei imminere apprehendit, & ſilet. Apprehendere poſſum quod non eſt: errare poſſum: dum tamen apprehendo, nec adhuc errare ſcio, & fructum ſpero, ſilere non poſſum.

Dices I. Non procedunt Iudices ex fama ſola, habent alia ſemper indicia adiuncta.

Resp. Si ea indicia quæ adiuncta habent, talia ſunt vt per ſeipſa ſine fama ad torturam ſufficiant, bene habet; iam ſupra hoc reſpondi. Si non ſufficiunt autem, ſed à fama adiuuari poſtulant, iniqui ſunt ſi procedant: cum fama hodierna, vt probaui, indicium inualidum ſit, & nullum, cum non probetur: Quod autem inualidum, & nullum eſt, non poteſt vtique vllum alteri pondus adiicere.

Dices II. Non opus eſt in fama Magię, vt probetur habuiſſe originem à viris

Digitized by Google

ris bonis, quia hoc requiſitum famæ, vt à viris honeſtis manauerit, intelligitur inquit Binsfeldius pag. 619. *quando qualitas perſonæ, natura rei, & circumſtantiæ hoc admittunt, & ſic ſubintelligendum, niſi agatur de re turpi: nam tunc non eſt contemnenda fama, quæ ortum habet à turpibus perſonis. Exempli gratia, ſi agatur de peccato commiſſo in lupanari, poterit oriri fama à meretricibus, lenonibus, &c. non autem à Doctoribus aliisq; perſonis honeſtis, &c.* ſic ille ex Iulio Claro, Saliceto, Bartolo, Amadeo, Panormitano, &c. Sed

Resp. Ad rem non facit, nec punctum tangit in quo vim ponimus: dicimus enim hodiernam famam, ex qua hactenus proceditur, non legitime probari vnde originem habuerit. Eſto igitur à bonis viris nata ſit, an malis, taliter an taliter, id ipſum tamen per teſtes legitime deponi oportebat; & cauſæ, ac coniecturæ, vnde nata eſſet, qualeſcunque illæ forent afferri, atque id ſaltem iudicialiter conſtare, non natam eſſe à contentionibus, rixis, calumniis, & ſimilibus, vndecunq; tandem, ſeu ab ho-

neſtis ſeu inhoneſtis autoribus effluxiſſet. Manet igitur ſi ex fama hodierna procedatur adhuc procedi ex indicio nondum probato ideoq; iure nullo.

Dices III. Aiunt Iudices ſe nudos Theologos non ſequi, neque attendere ad diſputationes Scholis proprias, ſed ſequi hodiernam praxin, & inter cæteros in his cauſis verſatum Delrium; ſic enim hodie non neminem loquentem audiebam.

Resp. Sequenda eſt non praxis Iuriſconſultorum, ſed eorum doctrina, & recta ratio, ac iura in ratione fundata. Quod autem Delrium paſſim ſequi gloriantur, & apud Principes ſuos iactant, atque hi proinde amplius eis fidunt, tum deinde autem nil minus agunt, ſed quam Delrius apertiſſimis verbis neceſſariam plane eſſe accuratā famę publicę probationem docet, ij penitus negligunt; non effugiunt ſane, quin & iniqui ſint, & Principes ſuos egregie fallant, ideoq; merito vehementer debeant puniri, ac tādem adhuc diſputari, an Principes, an Inquiſitores, an vtrique

ad

ad reſtitutionem teneantur ob proceſ- NB.
ſus quos & ex hoc capite, & ex nonnul-
lis aliis probare poſſim fuiſſe iniquos;
ſi acta mihi publica communicentur.
Multa audio, quæ in hunc commenta-
rium inſerere, iudicabam non expedi-
re: Poſſunt quidem dicere Principes ſe
deceptos eſſe, ſed valde dubito, an ſine
culpa decipi potuerint paſtores popu-
lorum (nam ſic Homerus Principes ap-
pellat) cum etiam ipſos, qui paſcuntur,
deceptio non latet. Quo maior Magi-
ſtratus eſt, eo maior ipſi ſubditorum
cura habenda eſt, & grauior reddenda
ratio. Poſſent etiam dicere Principes, ſe
omnibus ſciendis & rite curandis non
ſufficere, habere Officiales ſuos, & Con-
ſiliarios in hunc finem, atque hos ſe ſe-
qui, illisve curam committere. Sed di-
cam ego, propterea habere Principes
tot Officiales, & Conſiliarios, vt tanto
minus ignorantia earum rerum labo-
rent, quas ſcire debent, atque vt tanto
magis curam regendi ſubditos & pru-
dētiam ſuam exaugeant. Quod ſi igitur
aucta prudentia, atque auctis recte & ac-

curate gubernandi mediis, nihilominus ignorant quæ debebant ſcire; ac nihilominus iudiciorum publicorum exactiſſimam rationem non habent, iam tanto minus excuſari poterunt; vt qui maioribus ſuffulti præſidiis minus attenderunt. Hæc ad eos ſpectant, ſi qui negligentes ſunt, quales eſſe non ſcio: Munus eſt ſpiritualium virorum, etiam ipſos Reges latratu ſuo perterrefacere atque excitare de ſomno, cum de noctu periculum eſt. Interim veræ ſunt, & ab omnibus habentur hæ propoſitiones iuxta ſupra dicta:

1. *Neceſſarium eſt vt indicium famæ legitime probatum habeatur.*
2. *Paſſim ex indicio famæ in crimine Magiæ per imperium Germanicum proceditur.*
3. *Vix aut ne vix quidem inueniri poteſt in proceſſibus fama vlla legitime probata.*
4. *Si legitime probanda fama eſſet, Iudices non poſſent procedere.*
5. *Iudicia publica nemo audet reprehendere: omnia rite facta eſſe, putanda ſunt,*

*quæ*

Digitized by Google

*quæ ibi Saga declarata eſt, vere Saga fuit: qui obloqui auſit, offendet, & ſuſpectus fiet.*

Quid hic faciemus? quæ ex his ſequelæ deduci poſſunt? Cogitet oro Lector.

## Dvbivm XXXV.

### *An teneatur Magiſtratus hoc tempore vltro nemine vrgente ſe accingere in detractores & calumniatores?*

Respondeo, Tenentur Magiſtratus ſeu Principes hoc tempore ſi vnquam, etiam vltro nemine vrgente, venenatas linguas, quibus circa Magiæ crimen, proximis quæcunque dica impingitur & ſuſpiciones commouentur, acerrimis conſtitutis pœnis coercere: atque ita famam publicam tanquam aerem quendam communem à calumniandi licentia purgatiſſimum ſuis ſubditis præſtare. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Nimiumquam vbique detractiones & calumniæ conualeſcunt, ac in ſummo quo poterat gradu Chri-

ſtiana

ſtiana charitas offenditur. Audiui homines qui dicerent, ob hanc cauſam malle ſe hoc tempore quo fama non corrigitur & ex fama proceditur, tantiſper inter Turcas degere, dum fidelibus eſſe liceret: Quod profecto non parum abſonum mihi viſum eſt, & compeſcui ego illos, tanquam indirecte Magiſtratibus iniuriam inferrent: nihilominus hæc illi dicebant. Inſero quod nuper factum: Quæſtor quidam Vrbanus infidelitatis accerſitur à Senatu, & agitur cum eo repetundarum: offenſus is cum aliter furorem ſuum compeſcere non poſſet, abit domo, infamat populares ſuos à multitudine Sagarum, & id tandem per cuniculos agit, vt à Principe Inquiſitor eo dirigatur. Nulla hodie expeditior vindicandi ſe via eſt.

RATIO II. Vltro Magiſtratus inquirit in Sagas: vltro igitur in eos quoque, qui peſtilentiſſimis ſuis ſibilis impune hactenus in quoſcunque, quibus male nunc volunt, criminis eius ſuſpicionem afflant.

RATIO III. Inquirit autem Magiſtratus

tus ex fama: per hanc etiam ſolam, viam ſibi faciendam eſſe putat, non ſolum ad capiendum, ſed & torquendum, vti ego ſæpe vidi, quicquid verbis iactent, fieri non debere. Curare igitur tenetur, vt vel linguas venenatas, quæ non niſi meram peſtem, fumos, & mendacia pro fama publica exhalant, de medio tollat; vel concedat non niſi mendaciſſimæ auræ proceſſuum ſuorum molem inniti.

RATIO IV. Tenetur Magiſtratus à proceſſibus ſuis contra Sagas remouere omne id, quod eos periculoſos reddat, iuxta ea, quæ ſupra diſſeruimus: ſed ni fama publica à detractoribus vindicetur, periculoſos reddet eos proceſſus; tenetur igitur hanc vltro vindicare.

RATIO V. Ni Magiſtratus ſerio rem hanc curet, non alia iam vlla via eſt qua curetur. Vna eſſe poterat, ſi concionatores, & viri ſpirituales in venenatas linguas gladium ſpiritus educerent, quod eſt verbum DEI: Sed nunc ea tempora ſunt, vt ſi exſcindi hæ peſtes debeant, opus ſit; vt dicat DEVS quod

olim:

olim: *A ſanctuario meo incipite*, Ezech.9. v.6. Præeunt ſæpe detrahentibus & ſuſurrantibus viri ſpirituales & clerici æque incautę linguę ac cęteri quos coercere oportebat. Dolor eſt cordi meo, cum audire cogor viros nonnullos etiam religioſos, diffamatæ & apud ſuos & apud exteros credulitatis & garrulitatis, qui quiduis eblaterent ſine connexione & iudicio, mirifice hic ineptire: & vt quidque vticunque euenerit, omnia incantationibus adſcribere. Primi omnium inclamãt non eſſe dubium quin hæc à Sagis proueniant; latiſſime ſe effundere hanc luem; & quas opprimere omni modo ſuſpiciones debebãt, ipſi fouent: tum deinde ne non aliquid intelligere ac poſſe videantur, legunt exorciſmos, luſtrant domos, præbent ſacra amuleta, & in his neſcio an quædam etiam ſuperſtitioſa, certe à communi Eccleſiæ vſu aliena, vt nuper deprehendi. Iactant per domos, quæ Sagarum malignitas & contagio ſit, perpetuas hic reculas & fabellas habent quas garriant. Quod ſi deinde quæ natura-

turalia fuere, naturaliter pereunt, tum demum cum exorciſmis & amuletis ſuis triumphum gerunt; ac plebi admirationem prudentibus riſum cient, qui vtique non parum ægre ferunt anilem illam in ſpiritualibus viris pruriginem detrahendi & garriendi. Quæ hic igitur correctio ab iis ſperanda eſt, qui ipſimet præ cæteris correctione habent opus? Itaque nuper audio cum concionator quidam (vt imprudentes in eo genere ſunt nonnulli) curioſius deduxiſſet, quam occulte ſerperet Magiæ crimen, quamq́; variæ eſſent ei nocendi viæ & ſimilia; ita omnem vrbem cogitationibus & fabulis impleuiſſe, vt nihil non hominum ac rerum ſuſpectum eſſet, incredibili cum omnium perturbatione, & laceratione charitatis, & ſocietatis humanæ.

Ratio VI. Multæ pauperculæ ſunt, abiectæ, & viles animæ, quæ vel inopia ſumptuum, vel famę incuria, vel ſimplicitate, cum calumniam paſſæ ſunt, abſtinent ab accuſando, maluntq́; ferre iniuriam quam litibus intricari: Iam ſi pueri

pueri quoque irrideant & Sagas inclament, quis cum pueris iudicio contendat? excitabuntur eorum parentes quoque, & eo tandem erumpent querelæ, vt & ætati ei id ignoſcendum fuiſſe omnes clamitent, & adhæreat tamen nonnulla macula quæ cum pueris tandem in communem famam adoleſcat. His igitur vt per ſe occurrat Magiſtratus par erit: faciat decreta, & acerrimis pœnis in detractores & calumniatores conſtitutis, eos per occultos Syndicos veſtiget, & qui deprehenſi fuerint, ſine mora & vlteriore circumductione vt conſtitutum erat, ad pœnas vocet.

RATIO VII. Si qui honeſtiores & attentiores ad famam ſunt, ac proinde cum per calumniam traducti fuerint litem detractori intenderint, ne ſic quidem ſe ſat purgabunt: nam eſto obtineat quis in iudicio eam cauſam; iam tanto latius ſpargitur calumnia publice ad tribunal ventilata quam ſilentio inuoluta: vnde & fit, vt ſi quid deinde qualecunque incidat, quod aliquatenus in ſiniſtram partem trahi poſſit, id mox qui-

quiuis eo detorqueat, vt licet iudicio abſolutum nihilominus non omnino de nihilo fuiſſe traductum apud ſe tacite iudicet: hæret ſemper aliquid; nec ita eradi è memoria vulgi audita ſemel calumnia poteſt, quin ad omnem leuiſſimam occaſionem temeraria ſuſpicio prorumpat, & inter diffamatos hos quoque accenſeant nequam homines, quorum opera Inquiſitores nonnulli ad diffamatos inquirendos vtuntur: nam quod diffamati aliquando per calumniam fuerint, memoria adhuc vulgus ſeruat; quod abſoluti autem, facilius obliuiſcitur, aut fauori & corruptioni Iudicum attribuit. Exempla huiuſmodi quotidiana ſunt. Imo præterea qui interim capiuntur & torquentur, eoſdem vti diffamatos facilius accuſant cum accuſare aliquos coguntur. Itaque miſerrima tempora ſunt: nam vel taces ad impactam tibi calumniam, & hoc ipſo reus eſſe incipis quia tacueris, nec auſus contradicere ſis: vel non taces, ſed litem moues; & hoc latius omnium iudiciis & obſeruationi te exponis.

Neceſſe eſt igitur quod initio dicebam, vt vltro per ſe Magiſtratus conſtitutis pœnalibus decretis calumniis his & diffamationibus ſuorum ciuium antequam fiant occurrat: ne ſi ea licentia quæ adhuc hactenus fuit continuetur, impoſſibile deinceps vlli ſit innocentiam ſuam protegere.

## DVBIVM XXXVI.

*An tunc ſaltem ſola fama legitime probata ſufficiat ad torturam, cum crimina ſunt Excepta & difficilis probationis?*

ITa ſentiunt multi Iuriſperiti & Iudices: nam Iulius Clarus cum negaſſet ex ſententia communi, ſolam famam ſufficiens eſſe indicium ad torturam, ſubiungit tãdem exceptionem in hunc modum: *poſſet etiam eſſe delictum,* inquit, *adeo difficilis probationis, vt ſola fama ſufficeret, vt quandoque etiam vidi ſeruari.* Sic ille, & ſequitur Clarum Farinacius quæſt.47.num.11. ac Menochius de præſumpt.lib.1.q.89.n.34. Binsfeldius quoq; de

de confeſſionibus maleficorum p. 288. ait, *promptiorem ac faciliorem debere eſſe Iudicem in procedendo ad torturam in enormibus ac occultis*, quod ea quę fiunt in occulto, difficilius probari poſſunt: ex qua cauſa addit reſultare illud Iuridicum pronunciatum: *in clandeſtinis & occultis ſufficere probationes per coniecturas ob rei difficultatem, quæ alias non ſufficerent*; tandemq́; de crimine Sagarum cõcludens: *crimen*, inquit, *maleficorum ex his cauſis aliisq́ʒ quod eſt occultiſſimum, leuioribus argumentis torturâ inquiri poſſe quis dubitat?* ſic ille.: quo & ſpectare videtur quod cum alioquin regulariter teſtis infamis repellatur, *admittatur tamen interdum, cum aliter veritas cognoſci nequit*, vt habet Leſſius & alij. Porro quod in atrociſſimis poſſit reus torqueri ex leuioribus indiciis videtur fuiſſe de mente Marſilij in leg.1.ff.de quæſt.& expreſſe tenet Menochius de Arbit. lib.1. quæſt.84. in fine num. 9. item Monticella Regula ſua Crim.10. num.36. & Maſcar. de probat. lib.3. concluſ.1385.num.13.& ſeqq. Ratio eorum eſt, *quia in atrociſſimis liceat iura*

*tranſgredi, & requiſitas ſolemnitates non adhibere, & ordo ſit ordinem non ſeruare*: ſic enim ſat liberaliter loquuntur, verum examinanda hæc melius videntur. Itaque

RESPONDEO, Quantumcunque crimina atrocia, excepta, & occulta ac difficilis probationis ſint, nunquam tamen vel ſola fama, vel alia quæuis leuiora indicia, quę fere-plenam ſeu quaſi-plenam probationem non faciant, ſufficiunt ad torturam. Recedimus igitur ab omnibus qui contrarium aſſerunt, reiicimusq; illud Iuridicum pronunciatum, tanquam rectæ rationi diſſonum, quod affert Binsfeldius. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Ait lex 1. ff. de quæſtionibus, *ad tormenta ita demum veniri oportere, cum reus argumentis quibuſdam ita probationi* (ſcilicet plenæ) *admouetur, vt ſola confeſſio deeſſe videatur*: loquitur autem vniuerſim nulla criminum facta diſtinctione: vbi lex autem non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus niſi aliud nos cogat: Sed ſi argumenta, *quibus*

reus

reus petitur, non ad minimum fere-plenam probationem efficiant, non proprie dicetur reus plenæ probationi admoueri, cum hoc appropinquationem inſinuet, perinde vt non dicitur, luna admoueri iam ad plenitudinem cum adhuc tenuiter corniculata eſt, ſed tum demum cum ad minimum vltra medium proceſſit.

Ratio II. Eadem lex ita vult admoueri debere probationi plenæ, vt nihil deeſſe videatur niſi ſola confeſſio: ſed ſi probatio antecedens torturam, non eſt fere plena; plus ſane videbitur deeſſe quam ſola confeſſio; deerit enim ipſum illud quod ad fere-plenam probationem minus habet: ergo &c. Ecce igitur Legem habent: quid volunt amplius?

Ratio III. Idem cum lege tenent multi Doctores; quos meo more omitto ne citationibus chartas impleam ſine neceſſitate: tenet & cum iis Delrius: quẽ ideo expreſſe nomino, quod hodie plerique Iudices eum ſequi iactent, etſi falſo. Is igitur ſic loquitur diſtinctis verbis lib. 5. ſectio. 3. *Doctores*, inquit, *qui quo ad per-*

*ſonam vilem & in delictis quæ ſunt difficilis probationis, putant non requiri ad torturam alia indicia præter famam malam in eodem delicti genere, ſæui nimis ſunt, & adferunt non admodum conſentanea iuri: quare Farinacius eos merito reprehendit. Ideo nec in maleficiis quidem putarim Iudicem abſoluendum, qui hanc crudelitatem amplecteretur:* ſic ille.

Ratio IV. Idem cum Lege & Authoribus nobis fauentibus docet recta ratio: cum enim tortura res ſupra modum non ſolum grauis, ſed & periculoſa ſit, non erit vtique ad eam niſi vrgentiſſimis ex indiciis procurrendum: talia autem indicia non ſunt quæ minus quam fere-plene probant.

Ratio V. Hæc porro cauſa iam allata, cur fere-plenam minimum probationem ad torturam requiramus, nempe ipſius torturæ grauitas & periculum, non ceſſat aut minuitur etiamſi crimen atrox vel occultum ſit & difficilis probationis: non enim in tali crimine minus grauis & periculoſa tortura eſt quam in aliis: ergo etiam in tali crimine

ne non minus quam in aliis fere-plena minimum probatio ad torturam requiretur. Eadem enim cauſa idem operatur iuxta Philoſophos. Vnde aliter ſi fiat, contra rationem fiet, ac proinde fruſtra ſe fundant ſupra citati, in eo quod in exceptis liceat tranſgredi iura: eſto enim id tantiſper concedamus (eſt autem falſum, vt alias diximus) non continuo tamen ſi vltra iura, etiam vltra rectam rationem proſilire licet.

Ratio VI. Imo tantum abeſt, vt in atrocibus, occultis, & difficilis probationis ſceleribus minores probationes ſufficiant quam in aliis, vt etiam ſecundum rectæ rationis præſcriptum, quod in cauſa iam data innititur, maiores requirantur: prout latius patebit dub. ſeq. lubet enim idem argumentum velut reſumpto ſpiritu ab nouo dubio vlterius expendere.

Ratio VII. Nec dici poteſt famam cum in aliis criminibus nō ſit indicium vrgentiſſimum nec fere-plenum, in exceptis & occultis vrgentiſſimum & fere-plenum reddi, valoremq; acquirere

quem ante non habebat: nam fama vtique probãdi vim non ab obiecto trahit, ſed ex propria natura ſumit, vt facile Iuriſperiti omnes intelligent, qui philoſophiæ olim dederunt operam. Natura igitur famæ cum in exceptis & occultis non mutetur, non erit vtique in his probatio fere-plena ſi in aliis non erat.

RATIO VIII. Iam ſi cauſam quæras, cur in delictis cæteris ſola fama nõ cenſeatur ſufficere ad quaſi-plenam criminis probationem? dicent Iulius Clarus & alij, *quia fama indicium valde remotum ſit & fallax*; ſic enim illi, vt ſupra vidimus. Sed obſecro; fama criminis excepti, occulti, & difficilis probationis, an non item *indicium eſt remotum & fallax?* Quod ſi enim à crimine non abſtruſo, nihilominus remotum eſt; erit vtique, imo amplius, remotum ab eo, quod ipſum amplius à ſenſu hominum, vnde oriri fama debuit, ſe ſubduxit: Quod ſi item fallax eſt in crimine vulgari, cur in crimine atroci & abſtruſo fallax non erit? aut cur ibi minus ſaltem fallax erit? Nam, vt mihi quidem videtur, facilius

cer-

Digitized by Google

certe falli ſolemus quo crimen difficilius eſt veſtigatu, non contra: Vt ſane fundamento careat opinio Binsfeldij, Clari & aliorum, quod & ſequenti dubio latius oſtendam.

## DVBIVM XXXVII.

### *An uniuerſim probationes quæ in vulgaribus criminibus non ſufficerent, ſuffitiant in Exemptis & occultis difficilis probationis?*

RESPONDEO, Quod non. Eſt directe contra commune illud pronunciatum Iuridicum, quod ex Binsfeldio attulimus ſuperiore quæſtione; & illud ex Leſſio citatum, infamem teſtem tunc admitti, cum aliter veritas haberi nequit; item contra hodiernam plurimorum Iudicum praxin, vbi in crimine Sagarum, eo quod exemptum & occultum ſit, leuioribus probationibus, vt denunciationibus infamium complicum, vel ſola fama, & ſimilibus, contenti ſunt: Interim Reſponſio noſtra veriſſima eſt. Rationes iſtæ ſunt.

Ratio I. Opinio contraria omni fundamento caret. Inprimis enim, eſto crimen aliquod, de quo agitur, ſit exceptum, quid tum? Iam paulo ante oſtendi, rectam rationem poſtulare, vt vrgentiſſima ſint indicia quæ torturam admittant: quod autem poſtulat recta ratio, æque in exceptis atque aliis obtinere debet, præſertim ſi cætera paria ſint, quod hic accidit, cum eadem cauſa, ob quam huiuſmodi grauia indicia ad torturam exiguntur, æque in exceptis atque aliis reperiatur, vt dixi; proindeq; non minus in exceptis atque aliis legitima & quaſi-plena indicia ad torturam haberi debent, vt bene Farinacius q. 37. n. 88. cum iis quos citauit n. 82. nempe Carrerio, Gabriele Saray, Monticella, Maſcardo, Alber. Iodoco, Rulando, Paride de Puteo, &c.

Ratio II. Imo ſic argumentor: Ideo in vulgaribus criminibus leuiora indicia & coniecturæ non ſufficiunt ad torturam, quia tortura eſt periculoſa, id eſt, vertitur hic periculum vitæ hominis ne innocens intereat: at hoc periculum

non

Digitized by Google

non modo non par eſt in crimine excepto ſeu atroci, ſed etiam multo maius, & præſertim in crimine Magiæ, vt ſupra patuit ex Dubio 2. non modo igitur in hoc crimine non ſufficiunt indicia leuiora, ſed etiam reuera requiruntur grauiora. Recte hoc obſeruauit Hippolitus Rimin. Conſil.88.n.53.vol.1. & latius in Conſil.361. n.32. vol.3. vbi ait plane ad noſtram mentem: *Quanto crimen eſt grauius & atrocius, tanto præſumptiones & indicia debent eſſe grauiora & vehementiora, cum de grauiori agatur periculo*, Cap. vbi periculum, de elect. in 6. quod & ſentit Farinacius loco citato num.88. etſi mox fruſtra excipit, niſi idem crimen ſit ſimul difficilis quoque probationis ſeu occultum: nam adhuc tenendum quod diximus vt nunc vlterius ſic probo.

Ratio III. Eſto crimen occultum ſit, & difficilis probationis, quid tum quoque? an hinc ſequitur leuiora argumenta, atque (vt loquitur in pronunciato ſuo iuridico Binsfeldius) coniecturas ſufficere debere, vt mihi prudenter.

ter perſuadeam Sempronium id commiſiſſe, ſic vt nihil ad probationem plenam deſit niſi eius confeſſio ? Nego hanc conſequentiam.

Ratio IV. Imo ſequitur omnino contrarium: nam ſi occultum crimen eſt, ſi abſtruſum ac inuolutum tenebris, ergo maiori opus lumine, non minori, ad illuminandum: ſi difficilis probationis, ergo maioribus non minoribus opus argumentis, vt ſeu plene ſeu fere plene probetur. Neque enim ſatis capi poteſt, quomodo quod ais probari poſſe difficilius, id nihilominus probari poſſit facilius: vnde ſi in crimine vulgari & probationis non difficilis, coniecturas repellis, repelles vtique multo amplius in crimine probationis difficilis.

Dices, Imo quia in criminibus facilioris probationis haberi poſſunt argumenta firmiora, merito in iis infirmiora ſeu coniecturas repellimus, quas tamen in criminibus probationis difficilioris admittimus, quippe, quod ibi argumenta firmiora haberi non poſſint, iuxta communem hominum ſenſum, quo

qui

qui maiora nanciſci non poteſt, minoribus contentus eſt.

Resp. Verum eſt, quod qui maioribus deficitur, minoribus contentus eſſe poſſit: erret tamen ſi vtriſque eandem vim tribuat, & his æque atque illis ad effectum quemlibet vti velit: neque enim ſi maiora deſint, ideo minora naturam vertunt, & maiora fiunt: declaro in exemplo: Vulneratus in ſylua viator cum vinum habere nequeat, contentus aqua eſt; hanc haurit & vtcunque leuat ſitim: erret tamen vehementer, ſi quia vino deficitur, aqua ſe prudenter vſurum exiſtimet ad vulnera perſananda: Pari modo, ſi in crimine aliquo abſtruſo non ſuppetant niſi leues coniecturæ, erres ſane, ſi quod argumenta grauia non ſuppetunt, leuibus his eandem vim affingas, & ſufficere ad ea putes, ad quæ grauiora ſufficerent: Arripe nihilominus, contentus eſto, non repelle, vtere coniecturis; ſed vt coniecturis, ad vlterius quærendum, cogitandum, &c. non ad torquendum, aut condemnandum: neq; enim coniectura quæ coniectura

ſtura eſt, ideo mox naturam vertit, & quaſi-plena probatio fit, quia de crimine excepto aut abſtruſo eſt.

Ratio V. Opinio aduerſa manifeſte pugnat cum charitate Chriſtiana ac æquitate naturali: ſic enim argumentari mihi illi videntur: Exceptum hoc crimen veneficij grauiſſimum, atrociſſimum, nocentiſſimum eſt, quo nihil ſceleſtius, horribiliusq; cogitari poteſt: eſt item occultiſſimum, & difficillime de quoquam probari poteſt, ergo minus iam egemus fundamento, minora ac leniora indicia, vt id tantum, tam nefandum ſcelus, de proximo noſtro homine Chriſtiano nos ipſi Chriſtiani prudenter & rationabiliter preſumamus, atque eum tanquam fere-aut quaſi-plene conuictum ad grauiſſimas periculoſiſſimasq; quæſtiones abripiamus: Quin potius inferrem ego ex dialectica Euangelica; ergo plus egemus fundamenti, non minus.

Dices, Non hæc vis eſt argumentationis, quo aduerſa opinio nititur, ſed iſta: Veneficium eſt grauiſſimum, damno-

mnoſiſſimumq́; crimen : ergo etiam vel minima eius vmbra percepta ſufficere putandum eſt, vt laboranti Reipublicæ quouis modo mature ſuccurratur.

Resp. Non penitus ſequelam nego, ſed aſtringo: ſequitur enim vt vel minima eius peſtis vmbra aut ſuſpicione coorta, ad ſubueniendum Reipublicæ accingaris: non tamen indifferenter quouis modo, licito ſeu illicito, cis aut citra rationem. Succurrendum Reipublicæ eſt, non nego; ſed ita, vt nec contra rationem nitaris, nec cuiuſquam ius naturale aut communem Chriſtianorum charitatem violes: quod vtique fiet, ſi tam ingens & periculoſum malum cum infamia coniunctum, qualis eſt tortura, leuibus de cauſis proximo inferas, & inuito dictamine rationis quo grauius eſt crimen eo minore nixus fundamento id alicui impingas, & quo latentius occultiusq́; eſt, eo facilius iam te detexiſſe & ſufficienter ad torturam probaſſe credas.

Ratio VI. Opinio aduerſa Dialecti-

cticam euertit. Id ita oſtendo in hoc exemplo: Teſtimonium aiunt alicuius teſtis infamis aut complicis ſeu ſocij criminis non ſufficit ad torturam, nec fere-plene probat: ſi tamen crimen exceptum ſit, aut alioqui difficulter probari poſſit, iam ſufficit & valide ad torturam probat: Dico ego id plane Dialecticæ aduerſari; probatur. Nam teſtimonia huiuſmodi ſecundum omnem Dialecticam ſunt argumenta quæ ab authoritate appellantur, de quibus argumentis hæc eiuſdem Dialecticæ inconcuſſa doctrina eſt, valorem eorum atque pondus pendêre ab authoritate teſtantis, id eſt, ab ipſius in loquendo Veracitate, ita vt iuxta quod ille magis minusq; Verax prudenter præſumitur, ita quoque maiorem minoremq; vim probandi ac valorem argumentum habeat. Non enim ideo aliquid magis minusve probatum cenſeri debet, quia eſt de maiore minoreve crimine, excepto ſeu non excepto, occulto ſeu non occulto de quo probatur: ſed quia maior vel minor atteſtantis autho-

authoritas ſeu veracitas eſt quæ probat: diceres Dialectice: A dicente non à dicto vim argumenti pendere: ideo enim hoc ipſum ei nomen datum eſt, vt ab authoritate vocetur. Quo poſito; non video quomodo ſalua Dialectica vbi minor eſt veracitas teſtantis, ibi maior ſit vis argumenti; quod tamen in oppoſita ſententia defenditur: quippe cum plus momenti & valoris tribuatur argumento ab authoritate infamis Sagæ quam furis ducto: ſint enim exempli cauſa duo hic argumenta:

I. Tale: Infamis fur denunciat Titium eſſe furem, ergo Titius fur eſſe præſumitur; in tantum vt fere-plene probatum haberi debeat, ac Titius deinde ad torturam rapi poſſit.

II. Tale: Infamis Saga denunciat Titiam eſſe Sagam, ergo Titia Saga eſſe præſumitur, in tantum vt fere-plene probatum haberi debeat, ac Titia proindè ad torturam rapi poſſit.

De priore argumento aiunt aduerſarij infirmum eſſe, non poſſe Titium torqueri: de poſteriore clamant firmum

 eſſe,

eſſe, admodum probare, oportere Titiam in equuleum proficiſci.

Quæro ego vnde hic poſterioris argumenti valor ſit? Dialectica vult eſſe ab authoritate denunciantis: conſideret ergò prudens Lector in vtro denunciante maior veracitas rationabiliter præſumi poſſit? in fure, an in Saga? & cur in illa potius, quam in illo? vter horum, fur an Saga plures ſalis modios (ſi tamen ſale veſci ſolent) cum mendacij parente delinxit? vter magis de fallacia ſuſpectus? an qui communi tantum via exerrauit, an quæ omnem erga Deum hominesq; fidem exuit, quæ Dæmoni tot annis mancipata fuit, eius mores & ingenium non-dubie combibit, fallere & mentiri ſub optimo huius artis profeſſore didiciſſe potuit? Maior igitur in argumento ab authoritate ducto vis inerit, cum Minor atteſtantis veracitas erit, quod abſurdum eſt. Quinimo etſi vim argumenti ab authoritate ducti non tantum à veracitate teſtantis peteremus, ſed aliquid etiam in ipſo obiecto hærere vellemus, quo maior minorve

norve noſtra credulitas cieretur, vti cum facilius ea credimus quæ faciliora ſunt, vt Gaium gallinam potius quam ouem integram voraſſe: nihilominus & hoc cauſam noſtram adiuuaret: ita enim comparatum eſt, vt credibilius ſemper eſſe ſoleat, ſi crimen vulgare de quopiam aſſeratur; quam ſi extraordinarium, enorme, atrox, nefandum, & exemplum. Vt tandem illud nobis quod oſtendere intendebamus omnino relinquatur; tantum abeſſe, vt in criminibus exceptis, & præſertim Sagarum, Minora ſufficiant indicia ad procedendum quam in aliis; vt etiam Maiora iure exigantur.

## DVBIVM XXXVIII.

*An nullo ſenſu verum ſit Axioma Iuridicum: In criminibus occultis & difficilis probationis facilius ad torturam iri poſſe, quam in aliis?*

RESPONDEO, Verum hoc axioma eſt, ſi recte explicetur. Facilius enim ſiue promptius iri poteſt, poſito

quod omnino iri poſſit; id eſt, poſito quod habeas probationem criminis fe re plenam, cum ſine ea omnino iri non poſſit, niſi ratione reluctante, vt ſuperius oſtendi: quod vt intelligas dicam diffuſius. Ponamus enim verbi gratia duos te tenere captiuos, Titium inprimis, cuius crimen ſit vehementer ex natura ſua occultum & difficilis probationis; deinde Sempronium, cuius crimen ſit tale, vt non difficile videatur poſſe aliquam probationem plenam de eo inueniri: ponamus etiam de vtroque habere te probationem fere-plenam: aio nunc; cum vtroque poſſe te ad torturam procedere: ſed hoc diſcrimine, quod cum Titio multo promptius quam cum Sempronio, id quod vlterius declaro in hunc modum: Docent Iuriſperiti communi conſenſu, vt teſtatur Clarus l. 5. q. 64. n. 5. quod oporteat Iudicem antequam aduolet ad torturam, diligenter conſiderare an non aliquas alias probationes, *plenas* ſcilicet inuenire poſſit, quibus reum criminis conuincat: nam ſi id quidem, abſtinendum

um eſſe à tortura: cum enim tortura
t introducta, vt vbi nondum plene ſed
ıntum fere- ſeu ſemiplene probatum
rimen eſt, per eam eliciatur rei ipſius
onfeſſio quæ hunc defectum impleat;
umq; tortura res ſit dira & periculoſa,
:quitur, vt ſi aliunde probatio plena
aberi poſſit, ea ambab. vlnis potius ar-
piatur, quam per torturã non ſine pe-
culo quęratur: ſed & ſequitur, quod te-
eatur Iudex ob hoc periculum euitan-
um eas probationes cum aliqua cura
: diligentia inueſtigare, atque ita non
iſi cum aliqua velut cunctatione ac
ıora, quam inveſtigandis huiuſmodi
robationibus ponat, ad Equuleum
onfugere: præſertim ſi agatur de cri-
ıine vulgari, in quo ſpes ſit, poſſe talem
liquam probationem inueniri. Nam ſi
rimen ſit ex eorum genere, quę occul-
ı & abſtruſa ſunt, ideoq; difficillimæ
robationis: tum ſane (ſi modo alioqui
ıdicia ſufficientia ad torturam ha-
eantur, quod ſemper iuxta rectam ra-
ionem præſupponendum eſt) non eſt
μuod Iudex cunctetur ac vereatur, quin

promptius & facilius quam alias ad torturam accedat: quippe cum in his criminibus occultis ſpes non ſit probationem aliquam plenam facile inueniendi, propter quod in aliis criminibus vulgaribus cunctatione & cura illa opus eſſe dixi. Quibus ita expoſitis, cum verum eſſet, eo ſcilicet quo vidimus ſenſu, nimirum, poſito & non excluſo quod reus ob habita ſufficientia indicia licite torqueri poſſit, tunc facilius promptiusq́; poſſit ac minore cum ſcrupulo in criminibus occultis ſeu difficilis probationis, quam in aliis: nonnulli hinc occaſionem ſumpſere errandi, ac dictum hoc ita perperam interpretati ſunt, quaſi facilius promptiusq́;, id eſt, *minoribus habitis indiciis, abſque fere-plena probatione*, liceret in occultis ad torturam venire. Ecce fons erroris ex incauta veri dicti interpretatione: quem miror hactenus viros doctos non animaduertiſſe. Vnde factum eſt, vt in negotio Sagarum leuiculis ſæpe de cauſis, quæ à fere-plena probatione non parum diſtarent, equuleus promptiſſime expeditus

ditus ſit, clamantibus nec intelligentibus imperitis Iudicibus; facilius in occultis ad torturam iri poſſe. Optandum vero erat, vt qui viri boni & zeloſi Magiſtratum ad perſequendum hoc Sagarum crimen acrius inflammant, par zelo ſuo ſtudium & ſcientiam in has cauſas afferrent, quo periculoſos hos & ſimiles errores tum deprehenderent, tum à ſuis eorumq́; quos inſtigant conſcientiis ſimul repellerent. Moneo iterum Magiſtratus, vt attendant, neque enim omnes quorum vtuntur conſiliis, ea ſemper qua putantur eruditione & prouidentia ſunt: nec tamen in tam graui Sagarum cauſa improuidis & oſcitantibus eſſe licet.

## DVBIVM XXXIX.

*An, quæ nihil in torturis confeſſa eſt, damnari poſſit?*

SVppono damnari neminem poſſe niſi certo de eo cõſtet culpam ſuſtinere: neq; enim innocens occidi debet, innocẽs autem omnis eſſe præſumitur,

qui nocens eſſe neſcitur: conſtare autem duobus modis ſolet: vel quia reus ipſe iure & legitime rogatus, ita de ſe confeſſus eſt; vel quia plenis probationibus, id eſt luce meridiana clarioribus feciſſe crimen conuictus eſt: adeo, vt ſi alterutro horum modorum conſtet quem eſſe reum, is damnari poſſit: neque enim vt & conuictus ſimul & confeſſus ſit requiritur, ſed alterutrum duntaxat ſufficit. Quo poſito,

RESPONDEO, Quæ rea ſiue reus in torturis ſiluêre, damnari ſalua æquitate, & recta ratione non poſſunt. Eſt contra quorundam hodie Iudicum praxin, quam in cauſis Sagarum nonnullibi vidi, & ingemui. Ducebatur nuper ad rogum quædam, ter, quater, imo quinquies equuleo laſſata. Negabat ſe ream eſſe voce liberrima, quam per quælibet tormenta ad flammas vſque perduxerat: vbi cum notario quoque eam dictauiſſet, rogum intrauit: pluries hoc accidit alibi; & recenter etiam Sacerdoti, magiæ poſtulato, de quo alias informandus erit Princeps: Sed exempla

Digitized by Google

pla omitto. Exiſtimo vero id iniquum eſſe. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Damnari nemo poteſt, de cuius crimine non certo conſtat: de huius, quam dixi, certo non conſtabat, non igitur damnari potuit. Aſſumptio probanda eſt. Si enim conſtabat, vel id ex eo quod ipſa de ſe confeſſa, vel quod legitime conuicta eſſet, neutrum hic verum erat, non igitur conſtabat. Confeſſam non fuiſſe liquet: non etiam conuictam, ita probo: Si conuicta eſſet, torta non eſſet, eſt autem torta, non igitur conuicta: Conſtat ex ſupra dictis (& vide Farinacium q.38.n.4.) torturam adhiberi in ſupplementum probationis: ter quater torta eſt, ter quater igitur probationes ſuppleri indigebant: Si indigebant autem, plenæ vtique non erant; ſi non erant, ream igitur non conuincebant: non igitur ipſa legitime conuicta erat: non igitur de eius crimine certo conſtabat: non igitur damnari poterat.

RATIO II. Quæro ex Iudice quem in finem ream torſerit? an vt tortura

pœna delicti eſſet? an vt via ad veritatem? contra iura eſt, vt tortura pœna ſit, & prorſus inauditum, nam cuius criminis erit pœna? an eius, quod adhuc neſcis & quæris? torſit igitur vt ad veritatem via eſſet. Si hoc autem, nondum igitur ad veritatem peruenerat: cumq; deinde nil rea faſſa fuerit, ne poſtea peruenit quidem: ſi non peruenit autem, quomodo tandem nondum occupata veritate, tam ſæua ſententia in ancipitem ream excuſſa eſt?

Ratio III. Quæro item ex Iudice, an hæc reæ confeſſio neceſſaria ad condemnandum fuit, an non fuit? ſi fuit, cur igitur ſine ea nihilominus damnauit? ſi non fuit, crudelitas eſt, quam morte puniendam ſeu confeſſam ſeu inconfeſſam deſtinauerat, tam grauibus torturis laceraſſe, ne, quæ vni tantum deſtinata morti erat, vna morte moreretur.

Dices, Torſit Iudex non quærendæ veritatis ergo, ſed ſtabiliendæ, ac confirmandæ, vt tanto certior confirmatiorq; cauſa eſſet. Sed

Resp.

Digitized by Google

RESP. Male id & imperite: nam de hoc fine torturæ ad confirmandam veritatem iam inuentam, altiſſimum in Iure ſilentium eſt: communis autem Theologorum ac Iuriſperitorũ eſt ſententia, in ſubſidium probationum torturam introductam eſſe: male igitur in re odioſa & periculoſa à communi ſententia receditur, & nouum ius inducitur. Imo, quicquid dicas, redit nihilominus idem argumentum: Vel enim confirmatio hæc neceſſaria ad condemnandum fuit, vel non fuit: Si fuit, cur igitur nihilominus ſine ea damnauit? Si non fuit, crudelitas eſt, vt dixi, & peccatum lethale, tam grauem intuliſſe proximo cruciatum, ob confirmationem, quæ neceſſaria non erat. Vnde recte Gomezius Variar. reſol. tom. 3. cap. 13. tit. de tortura reorum, num. 20. Boerius deciſ. 63. nu. 13. Crauet. Conſil. 178. nu. 10. pag. 209. & alij cum Farinacio quæſt. 40. n. 4. ſentiunt *Iudicem eſſe fatuum, & teneri in Syndicatu non ſolum, ſed maxime in conſcientia*, vt notat Nauarrus c. 18. Dub. 17. n. 59. Et Leſſius cap. 29. dub. 17. num. 152. & Co-

Et Couarruuias pract. quæſt. cap. 23. concluſ. 1. qui reum conuictum torquet.

Ratio IV. Per torturas, iuxta communem ſententiam, indicia ſeu probationes omnes etiam plenæ purgantur: adeo vt ſi reus etiam conuictus, in tortura & poſt eam conſtanter negando perſiſtat, liberādus ſit, vt docet ex communi ſententia Farinacius, & ſequitur Delrius lib. 5. Sect. 9. apud quos videant citationes qui eas volunt. Torta igitur & non confeſſa purgata fuit: ſi purgata, quo deinde iure damnata? Auxit purgationem negationis ad mortem vſque conſtantia: Neque enim non paruum pondus habent quæ immediate ante mortem vltima hominis effata ſunt, vt paulo poſt dicemus. Nam etſi quidem & in omnibus torturis, & ad rogum vſque pernegans, nocens eſſe quæ poſſit: aio tamen, quæ ſic torta inconfeſſa fuerat, damnari non debuiſſe, tum ob ea quæ iam dicta ſunt, tum quia tutiorem partem eligere oportebat, & vel decem potius nocentes dimittere, quam vnius innocentis plectendę periculo ſe exponere:

nere: Quod axioma etſi omnes paſſim admittunt, & vltro iactant, vix tamen inuenias qui re ipſa oſtendat, facere ſe, quod faciendum eſſe dicunt. Nequeo vero ſat admirari, quî hæc tanta immanitas, quam in exemplum attuli, cadere poſſit in Iudicẽ Chriſtiana fide tinctum, qui aliquam futuræ vitę imaginem in ſinu circumferat, ſciatq́; ſe coram Iudice illo compariturum, qui etiam de verbis otioſis moturus litem ſit. Magis miror, quî viris ſpiritualibus tanta poſſit incidere cæcitas, vt nec ipſi hic quicquam apprehendant, nec formident Deum. Nam & alia quædam nuper, cum nec tormentis nec incredibili importunitate inſulſi Sacerdotis (parcat mihi Deus, ſi hunc ordinem offendo) vinci potuiſſet, vt ſe ream diceret, ob hanc ipſam cauſam, tanquam obſtinata, viua adiudicata igni eſt. Cumq́; ad rogum innocens victima aſſiſteret (ſic enim vtique haberi debet, quę & per torturas purgata fuit, & nocens eſſe non conuicta eſt) non deſtitit moleſtiſſimus Sacerdos: ſed inſtantis ſupplicij acerbitate & gratiæ

, impe-

impetrandæ oſtenſa ſpe, eo denique impulit, vt in has ternas tandem voculas, *ſum rea igitur*; ſilentium abruperit: ad quas cum ille raptim has ternas tantum reponeret, *ego te abſoluo*, ſimul cum his ſubito accurrit ad Iudicem, & quia iam denique ſe ream faſſa ſit, mitigationem ſupplicij orat: ſed indignatus Iudex cum reponeret id factum citius oportuiſſe, inhæſum eſt ſententiæ, & in ignem viua coniecta. Dici non poteſt, quam deinde vbiq; is Sacerdos ad quoſcunq; acceſſiſſet, id identidem exaggeraret quam nullis deinceps Magiæ poſtulatis fidendum ſit, ſi crimen negent; cum ſic tandem ſub extremum articulum ſe ream conceſſiſſet quæ per tot tormenta obſtinata tranſierat. Multa vero hic imprudentiſſimi hominis peccata concurrerunt, quę ſi iudicio tantillo valuiſſet, manibus tangere potuerat. Nam

1. Quæ hæc peruerſitas fuit, quod per fas & nefas omni adhibita vi nocentem eſſe voluerit, quę innocens eſſe poterat?

2. Non

2. Non poterat Sacerdos hic aliud iudicare, quam eam innocentem eſſe: nam conuicta nullo modo erat, indicia omnia per torturas purgauerat, ne in ſacramento quidem fateri voluerat, quid hic amplius requiri poterat?

3. Si Sacerdos certus erat, eam ream eſſe & mentiri in confeſſione, id intra illud forum continendum & tractandum erat, & ſi nihilominus perſiſteret, credendum tandem pœnitenti, & acquieſcendum; vt omnes Theologi docent. Quid hic nouas & periculoſas opiniones ſectari volumus? legamus & ſequamur Theologiam, vt ea hactenus toto orbe tradita fuit.

4. Quod ſi autem rogo iam iam imponenda, tribus illis voculis memoratis rea eſſe conſenſit, quis non videt ex circumſtantiis & loquendi modo, non veritati hoc, ſed ſpei gratiæ & importunitati vrgentis tributum eſſe? vnde quæ hic materia triumphi & exaggerationis?

5. Iam quod ſi nihilominus homo imperitus veritatis eam vocem fuiſſe exi-

exiſtimabat, quæ hæc animæ iuuandæ ratio fuit, vt inueteratam igitur, & eouſque inualide confeſſam, atque haud dubie eximio quodam modo Sathanæ obſtrictam, credere auderet ſic quaſi momento ſatis diſpoſitam, & velut miraculoſe conuerſam; atque contritam eſſe, vt aliud nihil reſtaret, quam vt raptim verbulo abſolueret; & mitigationem tantum ſupplicij, non dilationem à Iudice oraret? Agebatur ſane de æterna animæ ſalute: Vt hæc in tuto collocaretur, & tam inſignis peccatrix (vt eam is homo eſſe ſupponebat) ſolide cum Deo rediret in gratiam, oportebat vtique ſupplicium differri, & melius pleniusq; per vnicum ſaltem diem diſponi, ac ſacro viatico inſtrui: ſed & tenebatur ad hoc Iudex in conſcientia, vt non negaret. Et ſi negaſſet, Sacerdotis erat obſecrare, imo & interpoſita auctoritate Euangelica comminationem iræ Omnipotentis Dei expromere, ac coram populo teſte ad Principem appellare. Ecce qui animarum curatores! & hos Magiſtratus habere volunt, hos religionum

gionum Superiores exponunt, nec ſe tamen peccare putant. Rem præclaram!

## Dubium XL.

*An criminis ante confeſſi reuocatio facta in loco ſupplicij alicuius momenti habenda ſit?*

PRaxis habet, vt huiuſmodi reuocationes criminis ſiue de ſe, ſiue de aliis, antea in tortura confeſſi & ratificati, contemnantur vt nullius penitus momenti. Mouentur Iudices argumentis ex Binsfeldio pag. 274. & Delrio lib. 5. ſect. 6. petitis, quæ tamen non plane eis fauent. Vt paulo poſt patebit: Sic enim

RESPONDEO, Reuocationes huiuſmodi, ſi à pœnitentibus fiant, quod prudentis Confeſſarij iudicare eſt, non prorſus nullius, ſed magni ponderis habendæ erunt: maximè ſi alios falſo detuliſſe aiunt. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Natura dictat, vt moriens præſumatur memor ſalutis, ideoq; mentiri nolle, vt habet Simancas ex D.

Chryſoſtomo & aliis, item Canon Sancimus 1. q.7. & gloſſ. in cap. litteras, de præſumpt. item Dd. in l. vlt. C. ad l. Iuliam repetundarum. Eleuat id Delrius, concedendo quando eſt animo imperturbato & ſibi bene præſenti, additq; non omnes morituros eſſe ſanctos maxime ſortiarios. Sed Resp. Non omnes autem morituros, animo perturbato eſſe, nec omnes non-ſanctos, aut ſortiarios: quippe cum hoc ipſum iam quæratur, an non dubitari aliquantum atque altius conſiderari debeat, num omnes qui ſic reuocant, ſortiarij ſint. Vnde non ſic poni debet: ſortiarij ſunt, ergo eorum reuocatio audienda non eſt, ſed ſic potius: Reuocant eo tempore quo ſciunt ſe iam iam ante æternitatis tribunal ſiſtendos: rarum eſt ne tum quidem ſalutis memorem eſſe, prudenter igitur dubitari poteſt, an non forte ſortiarij non ſint.

Ratio II. Si reiiciendum eſt *quod* paulo ante mortem rei enunciant, cur Iudices, & alij qui denunciationibus Sagarum magnum pondus attribuunt, to-

tum

Digitized by Google

tum hoc inde ducunt (vt infra dicam) quod ſuper iis denunciationibus mortuæ ſint, ipſi igitur fundamentum hoc faciunt, quod non videatur præſumendum quempiam cum mendacio velle vitam concludere; alioqui opponam totidem eorum verba ac dicam: non omnes morituros eſſe ſanctos, maxime ſortiarios, ac proinde parum id referre, quod denunciationes ſuas morte obſignarint. Sed nimirũ: ſi quod obſignant morte, tale eſt quod Iudicibus placet, iam magni põderis hæc obſignatio eſt; nullius autem, ſi quod Iudicibus non placet. Regula ſane elegãs! ſi Diis placet.

Ratio III. Conſtitutio criminalis Carolina in Imperio recepta nobiſcum ſentit: nam ſic habet articulo 91.

Quod ſi accuſatus ipſo die iudicij delictum negauerit, quod antea legitime & conſtanter confeſſus fuerat, ac Iudex ex ea confeſſione per explorationem omnium circunſtantiarum deprehenderit, eam retractationem à reo ſolum ad impediendum legitimum iuris proceſſum fuiſſe ſuſceptam: tunc

Iudex duos illos conſtitutos aſſeſſores qui vna cum ipſo libellum confeſſionis prælegi audiuerunt, ſub iuramento interroget, vtrum prælectam confeſſionem audiuerint, & ſi affirmauerint, *i*-dem Iudex omnino conſultationem ac deliberationem inſtituat apud Iuriſperitos, ſeu aliis locis ac modis, vt inferius ſignificatur, &c. Ex quibus ita rectiſſime colligit Tannerus diſputatione de iuſtitia q.5.dub.4.num.98. quod ſi ea conſtitutio etiam tunc, cum retractatio re ſolum ad impediendum legitimum iudicij proceſſum facta fuerit, nihilominus vult rem diligenter expendendam, & cum viris doctis & peritis conferendam eſſe; vtiq; multo minus negligendam aut contemnendam eam reuocationem eſſe volet, quæ à pœnitente ac non malitioſe facta poteſt præſumi. Reſtat vt ad argumenta oppoſita reſpondeatur, quibus probant reuocationem huiuſmodi proxime ante mortem factam æſtimari non oportere. Sunt autem iſta:

ARGVMENTVM I. Raro ſub mortem

æque

æque ſibi mente conſtant, vt ante illud tempus quando confeſſio ratificatur. Ita Iudices ex Delrio lib.5. Sect.5. Sed

Resp. Non raro ſed ſæpe multi cum mortem ob oculos vident, præſentiores ſibi ſunt quam ante, quantum ſcilicet ad hoc vt mentiri nolint, ad quod opus non eſt diſcurſu, & magna animi attentione ac quiete. Quicquid ſit; id igitur concedent, vt cum perturbati animi non ſunt, tum ſaltem magni ponderis hæ reuocationes habeantur, quod volebamus. Quanquam vereor ne id nos parum iuuet, forte dicent, hoc ipſum eſſe perturbationis ſignum, ſi quis reuocet, atque ita nullus non reuocans perturbatus fuerit: ſperamus mitiora.

Argvmentvm II. Solent importunitate eorum qui denunciati fuêre, vel admonentium de animæ ſalute vehementer rei ſollicitari & perturbari in extremo illo vitę puncto. Sic iidem ex Delrio, & recidit eodem quo primum argumentum. Sed

Resp. Neganda ſunt quæ argumentum ſumit. Nam inprimis, vnde denun-

ciati ſciunt,ſe à reo iſto denunciatos eſſe vt ei de reuocatione importuni eſſe velint? Denunciationes omnes exceptæ ſunt in acta quæ adhuc ſecreta ſeruantur: vnde ergo ſciunt? quod ſi aliqui ſunt ſibi male conſcij, qui ne delati ſint verentur, atque hos putant reo moleſtos eſſe; nec ſic aſſentior: Nam ij ſane, vt natura eſt non rectæ conſcientiæ, cauebunt potius ne in reorum conſpectum aut mentem ſub id tempus veniant, ne forte vel Iudici aliisve ſuſpicionem, vel reo memoriam commoueant, quo fieri poſſet, vt ſi necdum denunciaſſet, adhuc ante mortem pœnitentia ductus denunciaret. Sed voluit fortaſſis innuere Delrius quod hodie eſt ſolenne, nec ab vllo adhuc Magiſtratu, quod ſciam, punitum, eos qui reorum quæſtionibus interſunt, mox omnes denunciationes in vulgus effutire, vnde fieri poteſt, vt denunciati intelligant ſe accuſatos eſſe: ſed quicquid ſit adhuc negandum eſt, quod denunciati, qui ſe accuſatos eſſe ſciunt, reos ante mortem ſollicitent & perturbent: nam



Digitized by Google

ad reos poſt acceptam ſententiam nemo admittitur, niſi Sacerdos & lictor: niſi hi igitur denunciati ſunt, aut à denunciatis ſubornati, non poſſunt vtique denunciati reos moleſtare; Deinde quod additur ſolere reos importunitate admonentium de ſalute vehementer ſollicitari, id pro nobis eſt, non contra nos: ſi enim de ſalute vehementer ſollicitentur, vtique tanto magis ſalutis habebunt curam, nec eam per mendacia, cum nihilominus moriendum eis ſit, in diſcrimen adducent. Præterea monẽtes de ſalute, qui importuni ſunt, non id agere ſolent, vt veritatem ſerio cognoſcant, & moneant reos de reuocatione, ſi forte tormentis victi mentiti ſunt; ſed id agere ſolent, vt quicquid ſit ſimpliciter ſe nocentes eſſe fateantur: Præſupponunt enim imperiti homines, vt ſupra docui Dub.19. non poſſe aliter fieri quam vt nocens omnis ſit quæ accuſari & capi potuit ac in tormentis fateri: Itaque quæ reuocatio fiat ante mortem non ab importunitate monentium de ſalute fit.

ARGVMENTVM III. Hæc recantatio non eſt facta adhibitis ſolennitatibus, quæ adfuêre primæ confeſſioni, ideo præualet prior. Adde quod iſta eſt extraiudicialis, prior iudicialis, ſic item ex Delrio. Sed

RESP. Non dico hanc recantationem continuo priori confeſſioni præhabendam eſſe, & reum mox abſoluendum: ſic enim nemo non reus ante mortem reuocaret: Sed id aio: confeſſionem priorem, etſi adhibitis ſolennitatibus iuris facta ſit, non tamen ideo neceſſario eſſe veram, imo nec hoc tempore quidem ſat prudenter veram eſſe præſumi poſſe, tum ob futilitatem indiciorum quibus hodie vtuntur, tum ob ingens periculum quod tortura ſecum trahit, vt ſæpius oſtendi. Proindeq́; ſi paulo ante mortem rei non male diſpoſiti canant palinodiam, eam non plane negligi & contemni oportere, ſed diligenter conſiderari, reuocari ad incudem indicia, examinari attentius, & vt vult conſtitutio Carolina conſultationem apud Iuriſperitos inſtitui: præſertim

im in crimine Magiæ, quod cum exceptum ſit, non modo non minorem, ſed maiorem adeo conſiderationem & attentionem requirit, vt ſupra Dubio 8. probaui. Quis autem hoc vnquam Iudicum in Germania fecit? Iam ſi quis hominum piorum admonere Iudices in his ac ſimilibus velit, ſunt qui indignentur & inclament, quid hæc ad nos attineant? noſſe illos ſua iura ac leges, nos iſta non ſtuduiſſe: quaſi ſcilicet ſecretiſſima hæc quædam ſacra ſint, in quæ nemo vnquam oculum iniecerit, niſi ſoli illi, quos huc profeſſio applicuit. Quos quidem, ſi vt primum admoti ad has cauſas ſunt, continuo vel iudicij vel conſcientiæ bonitas ab errandi periculo exciperet, non eſſet quod monitione & ſollicitudine egeremus; nunc aliter res habent, & aduerto id tantum agi, vt non tam ipſa demum veritas per Germaniam reſplendeat quam buſta.

Argvmentvm IV. Dictum morientis non eſt idoneum teſtimonium vt alius torturæ ſubiiciatur, nec in homici-

dio, nec in Iudice dicente ſe tuliſſe falſam ſententiam, nec in furti crimine, nec in aliis vllis, ex communi & in praxi recepta ſententia. Sic iidem ex eodem; ergo ſimiliter dictum morientis idoneum non erit ad elidendam confeſſionem prius factam, &c. Sed

Resp. Sumitur hæc doctrina ex l. ſi in graui, §.1. ff. ad SC. Syllanianum, vbi dicitur quod vulnerato non creditur, ſi mox deceſſurus dicat ſe à Titio percuſſum fuiſſe, niſi id aliter probari poſſit, ad quem textum multa Bartolus. Sed eſto ita ſit, (nego enim id noſtri inſtituti eſſe diſcutere, videatur Farinacius q.46.) non tamen inde conficietur dictum morientis non aliquam facere præſumptionem & indicium, vt altius res conſideretur, quod nos volumus & Conſtitutio Carolina nobiſcum: quæ articulo 28. determinat ſermonem morientis aliquod facere indicium; quam & citat Binsfeldius pag. 277. vti & Stephanum Bertrandum atque alios, quod nobis ſufficit. Certe ipſe Binsfeldius pag. 275. pro concluſione fateri cogitur,

tur, quod etſi talis reuocatio de qua agimus non elidat confeſſionem priorem in foro externo, nihilominus maximum quiddam ſit apud Deum & homines, quod reus ſtatim moriturus exculpet & excuſet quos inculpauit. Vnde quidem videant quid agant Iudices, cum non minus vt in interno, quam externo foro ſubſiſtant curare debeant: repetant ſuum axioma, præſtare vt viginti nocentes dimittantur, quam vnus innocens plectatur.

ARGVMENTVM V. Talis perſona primam confeſſionem factam in tormentis non confirmaſſet, quando ſententia data eſt ad bancum iuris vt vocant, tum enim conſcientiam ſuam aperuiſſet, & reuelaſſet quod in tormentis mentita eſſet. Sed

RESP. Dicuntur hæc multo promptius quam fiant: Væ illi ſane ſi ad bancum iuris id dixiſſet: rediiſſet in eaſdem quæſtiones, & nullo alio, quam ingentium pœnarum lucro mendacium mendacio cumulaſſet. Prudenter igitur illi agunt, qui & ad bancum iuris men-

dacium

dacium ratificant; & non niſi tum demum reuocant, cum iam iam ruunt in amplexum mortis, torturarum ſecuri. Contra vero quidam nimis ſimplices ſunt, & turpiter impingunt, cum ad bancum bis terve, vt nuper adhuc obſeruaui, voce Iudicis prouocati ad *libere* edicendam veritatem, aiunt ſe in tormentis mentitos eſſe: mox enim reducti in quæſtionem id tantum diſcunt, nullam omnium torturarum acerbiorem eſſe quam quæ eam libertatem edicendæ veritatis exceperit. Neque enim *contenti* quidam Inquiſitores ſunt, quod vbi rei mētionem reductionis audiunt, ſubito libertatem eam damnent, confeſſionem priorem ratificent, ac de reuocatione doleant, infectamq; eſſe velint: nam nihilominus adhuc reduci iubent & torqueri, ac tum deniq; ad bancum iuris *liberrime enunciare*, (nam hac phraſi vtuntur: & diſcat nunc eam lector quid ſignificet) liberrime inquam enunciare, ſe reos eſſe; non ſine magna in populo exaggeratione quanta maleficorum malignitas ſit, qui cum tandem

aper-

aperte inueniantur fuiſſe rei, ſic antea tamen iudicium ludificati ſint. Vt profecto inſaniſſimus inpoſterum futurus ſit, qui ad bancum aliter loqui audeat quam Iudicibus placuerit.

Nimis vero lepide & ingenioſe agit Inquiſitor ille non nominandus, qui interdum pridie, quam plectendi ſunt rei, id eis denunciari iubet, etiam per Confeſſarium, quod ſi vel ad iudicij vel ſupplicij locum vacillauerint, ac poſtea rurſum torti confeſſi fuerint, ſciant paratas iam eſſe ſcalas ad quas alligandi ſint & in rogum viui demittendi: quas non vanas certe eius minas eſſe nuper in nonnullis docuit euentus. Idem homo Confeſſariis ipſis auſus pro imperio edicere eſt, ſi quæ in ſupplicij loco Sacramento reconciliandæ, negaturæ eſſent crimen, eas plane ne abſoluerent, ſed viuas exurendas deſererent: Ac inuenti ſunt Confeſſarij eiuſmodi, qui ſtipendio non laborem ſolum, ſed & auctoritatem Eccleſiaſticam ſubmittunt, & indignam rem ſub nequam hoc homine agere auſi ſunt. Qui iidem ordinaria

naria formula ſeueriſſime reis edicere ſolent, ſaluari nullatenus poſſe niſi confeſſiones & denunciationes in tortura factas ad vltimum conſtanter ratificent. Vah quæ hæc ratio eſt! & quas pœnas dabit Deo Magiſtratus qui hos Officiales habet? grauia ſane hæc facinora ſunt: & tamen hæc Iuſtitia eſt, & inſtigantur Magiſtratus atque à zelo commendantur!

Dices, Hæc Magiſtratus ignorant, atque ideo excuſati ſunt: ſi ſcirent vtique grauiſſime punirent.

Resp. Quod ignorent concedo, & eſt quod queror: ſed quod excuſati ſint, omnino nego. Poterant hæc & ſimilia omnia, ſi modo ipſi vellent, ſcire: cur neſcierunt? quod potuerint, ſic clariſſime oſtendo.

Clamant omnes & Magiſtratus & eorum Officiales crimen Magiæ occultiſſimum eſſe, & occultiſſime proſerpere: hoc ipſum tamen occultiſſimum crimen hactenus ita Magiſtratus non latet, vt indies infinitos eius criminis reos in lucem ſe putent protrahere: norunt

& nar-

& narrant integras Iliades ſcelerum & machinationum quas Sagæ in conuentibus ſuis ſecretiſſimis geſſerint: Quod ſi igitur hæc & ſimilia adeo vt volunt tenebris demerſa, nihilominus ſcire poſſunt, quomodo non poſſunt, quæ palam in luce hominum geruntur?

Itaque ad Deum non ſubſiſtent; nec apud homines quidem, cum intendere pallium ignorantiæ tam affectatæ difficile ſit. Atque hæc obiter ex occaſione ſint dicta, quæ tamen conſiderari debeant, & hinc quoque nonnihil minui admiratio vnde tantus in Germania Sagarum ſit numerus. Notent autem Iudices reliqui, & imitentur inſigne iam dictum Inquiſitoris illius ſtratagema, quo id efficiant, vt nulli deinceps rei negotium illis cum reuocatione faceſſant: Sic concidet omnis noſtra diſputatio, an pondus aliquod reuocationibus tribuendum ſit.

Quod ſi vero & aliud eiuſdem Inquiſitoris ſtratagema Iudices auent diſcere, quo id obtineant, vt ſi quæ plexa ſit quam plerique innocentem fuiſſe appre-

apprehendant, hanc eis opinionem e- gregie eximant, non grauabor docere nam ita agant: Dum alias paſſim in e- quuleo extendent, ita quæſtiones cum dexteritate aliqua dirigant, vt defunctæ illius memoriam eis obiiciant: quam vtique dum non grauate vt ſe pœnis eximant, accuſauerint, (cum & ordina- rie alioqui defunctas nominare ſoleant vt infra dicam) habetur inſtitutum: nam ſubito id ſpargant, & è protocollo ad bancum iuris recitari curent, quam nunc indies ab nouo erumpant in ſce- leſtiſſimam illam nouæ & diuerſæ accu- ſationes: addant etiam conſultum illi eſſe, quod iam tum ſic plexa ſit, alioqui nunc ſi adhuc ſuperſit, viuam ignibus tradendam eſſe.

NB Porro autem ſi Magiſtratibus Ger- maniæ cordi eſt cognoſcere & punire ſuorum quorundam Officialium ne- quitias & delicta, hoc ſuggero reme- dium. Oſtendant ſibi non diſplicitu- rum ſi integer colligatur huiuſmodi rerum Catalogus, erunt qui prope- diem colligent, & oſtendent quam in- digne

digne omnia ſub ſpecie iuſtitiæ vaſtentur: mihi diligentius inquirere non libuit.

## DVBIVM XLI.

### *Quid præſumendum circa eas quæ in carceribus mortuæ reperiuntur?*

RESPONDEO, Si quæ maleficij accuſata nondum legitime in tormentis confeſſa, aut conuicta, mortua in carcere reperiatur; præſumi debet deceſſiſſe morte naturali & honeſta, niſi contrarium ſufficienter ex certis ſignis deprehendatur. Eſt id contra multorum imperitorum praxin, qui vt quamque in carcere animā exhalaſſe intelligunt, mox iudicant à dæmone iugulatam, & ſub patibulum educi mandant, vt ipſe non ſemel vidi: Nihilominus reſponſio noſtra veriſſima eſt. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Communis regula eſt Theologorum & Iuriſperitorum ex ipſo naturæ iure deſumpta, tam diu quemlibet præſumendum eſſe bonum, donec ſufficienter probetur eſſe malus: ergo ſimiliter tam diu præſumendum eſt de

 mor-

morte naturali, donec de alia ſufficienter oſtendatur.

Ratio II. Secundum iura cum mortuus in carcere reperitur, præſumitur non contra mortuum, ſed contra commentarienſem, id eſt, præfectum carceris, quaſi male habitus captiuus ſit. Vide Damhauderum prax. crim. cap. 11. & leges quas citat.

Ratio III. Semper ſunt hic cauſæ, quæ ſuadeant de morte naturali & honeſta, nam

1. Torturis fracta fuit, de quibus Auguſtinus: *Et ſi non morte*, inquit, *puniantur; in ipſis, vel ex ipſis plerumque tormentis moriuntur*, Lib. 19. de Ciuit. cap. 6.

2. Vexata eſt compedibus & catenis.

3. Carceris pœdore & horrore debilitata eſt.

4. Confecta eſt mœrore & triſtitia, quæ, ſi teſte Scriptura etiam oſſa viri exſiccat, ne dum oſſa mulieris exſiccare potuit.

5. Conſolatione omni caruit: Sacerdos, à quo tale quid ſperare potuerat, mo-

moleſtior ei forte quam ipſe lictor fuit. Dum igitur mortua inuenitur, nec alia ſunt ſigna ſufficientia in contrarium, his ex cauſis animam poſuiſſe iudicari debet, niſi forte tam imperiti aut maligni ſumus, vt tot mala in cumulum collecta non putemus ſufficere potuiſſe, vt infirmam vnam teſtam collidęrent, id eſt, animam muliebrem è male cohærente & attrito corpuſculo extruderent. Inſero hoc loco, quid in hac materia ante annos circiter duos ipſe præſens in arce quadam Principis non mihi nominanda didicerim. Aſſidebam menſæ apud loci eius Satrapam, virum mihi amiciſſimum, aderat & forte Doctor Medicus, non vulgariter tum ſuæ artis, tum Mathematicæ peritus, cum quo, neſcio qua occaſione, in eos incideram ſermones, vt de Sagis multa loqueremur, eramusq; per omnia in eadem opinione. Interea dum ſub id tempus à commentarienſi obeuntur carceres, & captiuis prandium affertur, accurrit ad nos intro; qui Satrapæ nunciet, non neminem eorum, qui pro male-

ficis detinebantur, ea nocte vita eſſe expeditum, & à dæmone ſtrangulatum; Aſpeximus nos inter nos, Medicus & ego. Atque ille concuſſo capite indignabundus: Praua, inquit, & diſtorta hominum iudicia! Iam is miſer ſuperioribus diebus ad ſtuporem omnium in equuleo diſtractus eſt, & virgis laniatus: iacuit in carcere heri totus languidus, & eneruis inter vitam & mortem: nil magis conſentaneum naturæ eſt, quam vt per tantos cruciatus hanc inuenerit, nec quicquam magis creditu *procliue* eſt: nemo id tamen credet, nemo iudicabit: dicent omnes à dæmone iugulatum eſſe, hoc tanquam ex ore Apollinis pronunciant. Mira res! quam multi hactenus per Germaniam in carceribus vitam exuerunt, nec tamen quiſquam omnium ob torturam, aut miſerias carceris; quis enim hoc audiuit? omnes dæmon hinc eduxit, is omnibus *ceruicem* fregit. Et quo argumento? quis interfuit? quis vidit? carnifex ita ait: is ſcilicet, qui audire non vult enormius torſiſſe, homo infamis & plerumque nequam,

quam, qui quod ſolus cadauer tractat & pertentat, ſolus teſtis eſſe poteſt, penes vnum hunc fides tota hæret: & ſi multa quæras, omnis tandem, atque vltima probatio, non vlterius quam ab eius iudicio repetitur: Qua in re id merito mirari venit, quod cum in rebus aliis nemo fere ea ſit auctoritate, quæ non aliquem ſubinde relinquat dubitationi locum, ſolius tamen carnificis ea ſit in negotio grauiſſimo auctoritas quæ omnem dubitationem expungat, quin quod ille pronũciarit veriſſimum habeatur, quaſi ipſe Iupiter locutus ſit. Hæc ille. Quæ cum mihi non parum arriſiſſent, cuperemq; inſiſtere huic argumento; conuerſus ad Satrapam: Oro, inquam, ne non ſciamus certiora quæ ſic animi gratia ventilemus, mittantur teſtes ex hac ipſa menſa in rem præſentem, qui certam ad nos veritatem renuncient. Et quando ad manum eſt lictor, vt vel modo cadauer poſſit inſpici, ij comitentur & examinent diligenter: Ita, quid eius rei ſit, certius ſciemus. Placebat id Satrapæ vſque adeo,

Digitized by Google

vt vel ipſemet inſpectioni intereſſe vellet. Abeunt igitur, & paulo poſt reuerſi: Quin imo, inquiunt, res aliter non habet, ceruicem ei dæmon eliſit, collum penitus confractum eſt, flaccidum & enerue, ſic vt caput in omnem partem corruat ac nutet; cætera membra integra ſunt & firma: ita carnifex aſtantibus nobis, ne poſſet fallere, ad oculum oſtendit: Sic ipſe ego, inquit Satrapa, his oculis meis vidi, ipſe teſtis ſum, ne in vno carnifice fides acquieſcat. Idem cæteri dicebant: ac quando iam omnis ſublata dubietas erat, ad prandium ſe quiſque referebat. Continui ego me pauliſper, & hauſtulo interiecto, licetne, inquam, vt liberius quid loquar hic inter ſcyphos & amicos? Licet, inquit Satrapa; atque ego: vereor, inquam, vehementer, ne ſi ita philoſophandum ſit, vt adhuc philoſophati ſumus, parentibus quoque noſtris, quos in lectulis ſuis honeſtiſſime animam poſuiſſe credimus, non malus aliquis genius ceruices eliſerit. Itane enim, inquam, vt hoc neſciamus, nullum non homi-

hominis cadauer vt rigidiſſimum ac frigidiſſimum quidem fuerit, capite tamen quam maxime fluere, ac in omnem partem nutare? Nunquam igitur cadauer tractauimus? Nunquam vidimus ab aliis tractari, indui, moueri, in loculo reponi, vt rem tam luculentam hactenus ignorauerimus? Euge vero, quam inſignis & clara probatio confractæ ceruicis! qua ſi carnifex ille atque alij quoque paſſim (vt æſtimare licet, imo vt mihi iam conſtat) vti conſuenêre, ac ſimpliciſſimi inſpectores habent ratam, quam multi, obſecro, intra annos aliquot indigne traducti ſunt? Quæ cum ita diſſeruiſſem, ſurrexi atque abij: cadauer deinde illud ſequentibus diebus ſub furcam fuiſſe defoſſum intellexi. Videant autem Iudices, & ij omnes quorum intereſt, quam egregie ſe naſo ſuſpendi à carnificibus patiantur, quamq; tutam ſuam conſcientiam conſeruent, cum ſe ſcire omnia exiſtimant, atque eam negligunt ſollicitudinem ac curam, quam ego ſupra ſingularem & eximiam in cauſis Sa- NB

garum volebam eſſe. Multa in hoc caſu concurrunt, quæ coram Iudice æterno negligentem Iudicem præſtare oportebit. Nam

I. Mortuus huiuſmodi nondum legitime confeſſus aut conuictus de crimine eſt, non etiam legitime probatum eum vel à dæmone, vel ſeipſo per vim vita interfectum eſſe: vnde ſequebatur, ſine peccato mortali (vt vide apud Delrium lib. 6. ſect. 19.) Eccleſiaſtica ſepultura priuari non poſſe; priuatur tamen.

II. Nec debita ſolum ſepultura *pri*uatur, verum inſuper ignominioſa ei impenditur; trahitur enim à carnifice ſub patibulum, atque ibi infoditur.

III. Eo ipſo, quaſi lata ſententia damnatur, ne non certo fuiſſe reus ab omnibus exiſtimetur cui carnifex pollinctor datus ſit, & furca Mauſolæum.

IV. Eadem infamia in familiam ac poſteros transfunditur: quod tanto grauius exiſtimãdum eſt, quanto *ſtirps* honeſtior. Quæ ſi ſingula per ſe magna ſunt, & in conſcientiæ atque etiam externo foro reſtitutioni obnoxia, non

faci-

ſacile exiſtimatu eſt, in quos laqueos ſe induant omnes illi, qui tam futilibus credendi argumentis nixi, velut de memoria incedunt, omnium ſecuri. Neque enim eſt, quod ignorantiæ velo ſe poſſint obtendere, qui ne ignorantia laborarent, maximopere cauere ex officio tenebantur.

## DVBIVM XLII.

*Quando tuta conſcientia iudicari poſſit, repertum cadauer à ſeipſo vel dæmone iugulatum eſſe?*

RESPONDEO, Id iudicari poteſt ex his ſignis:

1. Si reſti collum implicitum eſt.

2. Si caput obtortum eſt, idq; plane in poſticum, non enim ſufficit ſi verſus humeros in vnam partem: quod notandum eſt.

3. Si in gutture lineamenta appareant, quæ pridie non fuerunt: in quo tamen Medici iudicio opus eſt.

4. Si, quod ſine magna vi externa adhibita fieri non potuit, prima colli vertebra

tebra emota loco eſt, vt retro emineat; nam tum denique non temere iugulatio præſumi poteſt, ac cadauer ſub furcam trahi: niſi rurſum, quod ſupra dixi, contra commentarienſem aliquid præſumendum videatur. Si vero hæc aut alia manifeſta ſigna non reperiantur, præſumendum eſt pro cadauere vti dixi: poteſt quidem quiſpiam à dæmone ſuffocari, nec tamen vllum relinqui ſignum, nos tamen id eſſe factum arbitrari non poſſumus, niſi ſigna videamus. Vtinam proinde ſuperiores quidam religionum, vel melius ſuos in his talibus inſtructos emittant; vel ora imprudentibus obſtringant, ne ex eadem qua ſupra probatione, vt quemque in carcere concidiſſe intelligunt, ipſi quoque vel inter primos clament, & in vulgus inſpergant confractas eis eſſe ceruices. Sane nuper cum quædam miſerrimum in modum torta, atque iterum nihilominus in equuleum reducenda, inter manus lictorum mortua collapſa eſſet, atque in partem vnam deflexiſſet caput, primus omnium religio-

Digitized by Google

ligioſus, reorum Confeſſarius, exclamabat, dæmonem illi peſſimæ Sagæ ceruicem obtorſiſſe. Quam fabellam (cum adderet quoque ſeſemet vidiſſe collum eius penitus confractum) nemo non amplectebatur, tanto firmius, quanto minus à religioſis viris vel mendacium in re graui vel temeritas iudicandi tam inſignis proficiſci poſſe ſuſpicio eſt. Et nemo ad ſimilia plura attendit? Quod ſi nunc ij quorum intereſt, rationem à Iudicibus petant eorum corporum, quæ hactenus velut à dæmone ſtrangulata ſub furcam infodi mandarunt, ſi & ſigna iubeant proferre quibus id ſibi perſuaſerint, ac familias diffamarint, non aliter ſubſiſtent quam ij ſolent, qui de re examinantur de qua nulla eo vſque cogitatio ſuborta eis eſt.


Digitized by Google

## DVBIVM XLIII.

## *De ſtigmatis Sagarum an indicium dent ad torturam & condemnationem?*

VT intelligat me Lector, ſic res habet: Aiunt in corporibus Sagarum reperiri loca quædam quæ ſenſu vacent & ſanguine: ita vt ſi acum vel ſtylum profundius immittas, neque dolor neque ſanguis cieatur: addunt ea loca ſubinde etiam quaſi macula quadam ſeu velut nota inſignita eſſe, vnde & vocant characterem ſiue ſtigma quod dæmon aſſeclis ſuis, (etſi vt fatentur non omnibus) inurat; tanquam cum rem quiſque ſuam, vt ſupellectilem, ouem, pecus, ſeruum inuſta nota ſignare ſolet. Vide Binsfeldium pag. 626. Remigium dæmonolatriæ lib. 1. cap. 5. Delrium lib. 2. quæſt. 4. & 21. Quibuſdam igitur in locis captiuam quamque lictores exuunt & huiuſmodi notas diligenter non minus quam petulanter quærunt: quas tanto vtique inuenient facilius, quanto maioris eorum intereſt qui quærunt.

Non-

Nonnulli Iudices ita pertinaciter hic ſe figunt, vt ſi tantillum diuellere coneris & examinare, non parum indignentur. Accidit nuper vt intereſſem colloquio Sacerdotis cuiuſdam viri docti, & Iudicis, qui de iis ipſis ſtigmatis diſſerebant. Multa hic Iudex narrabat, ſed non credebat Sacerdos, addebatq; mirari ſe, quod viri prudentes in his ſignis noſcitandis in vnius Carnificis fidem incumberent; quod dictum, vt mihi quidem videbatur non iniquum, ita Iudicem incendit, vt totus ſtomachabundus è loco ſe & conuerſatione proriperet, non ſine calumnia in Sacerdotes. Riſi; & cũ reuocaſſem, demulſiſſemq; verbis dum deſæuiiſſet tempeſtas, ita hominẽ modeſte ſum affatus: Ponam, inquam, argumentum, quod neſcio an à quoquam mihi ſolui poſſit; eſt autem tale: Nam quod ſi in Sacerdotes quidem, inquam, in quos nulla veſtra eſt poteſtas, ſic facile proiecta bile vltra rationem excurritis, quam merito vereri debeo quis cum iis tandem agendi veſter ſit modus, quos ſub vinculis conſtrictos in-

intra ditionem cupiditatis veſtræ tenetis? quomodo autem qui ſic ſubito turbato ſunt ſenſu, nihilominus ad diſtinguenda ea quę in cauſis Sagarum obſcuriſſima ſunt, erunt apti? Quę item ratione qui cum de captis agitur, ad omnem innocentiæ mentionem tumeſiunt, recte innocentibus conſultum ibunt? reſpondeat qui poteſt. Sed ad ſtigmata redeamus. Ego hæc nondum vidi, nec niſi videro credam. Id video indies, infinitas eſſe hominum fraudes, & ſæpe pudendam credulitatem etiam magnorum virorum: qui quod maiores ſint quam vt ipſi huiuſmodi minutias ad vnguem examinent; quaslibet pene fabulas amplectuntur, atque in commentaria ſua referunt, & ſic orbi imponunt. Interea vero, quia nec credo, nec nego, dicam quod ſentio, dum à ſagacibus & doctis melius examinetur, & doceatur. Itaque ad propoſitum dubium.

Respondeo I. Fruſtra quæratur an ſtigmata poſſint eſſe indicia ad torturam. Ratio: Nam vt concedam licere per lictorem ea quærere in corpore Reæ nudato,

dato, conuenire putem, vt habeatur ſemiplena minimum probatio. Cum enim ſine ea torquere non liceat, nec licebit ſine ea ita fœminam nudare coram infami ſcurra, quod illi ſexui quandoque tortura grauius eſt: habita autem ſemiplena contra ream probatione quid opus alio indicio ſtigmatum eſt ad torturam.

Respondeo II. Antequam ex ſtigmatis procedatur, hæc ſequentia Iudicibus in conſcientia incumbent, quæ boni iſti ne quidem cogitare videntur.

I. Ne fidant lictori cuius lucrum agitur, & multi nequam ſunt, aut ipſi quoque Magi.

II. Ne putetur ſtigma eſſe, quæ naturalis aliqua eſt nota, vel macula, vel cicatrix, aliave de cauſa ſenſu vacua, vt caro ſpongioſa, &c.

III. Ne ſtigmata quærantur rea pendente, ne forte terrore illo torturæ ſanguis deſerat nonnullas partes, aut ſtupore non fluat, vt in ſectione venæ ſubinde conſiſtit licet via patefacta.

IV. Vt

Digitized by Google

IV. Vt Medici iudicium non negl gatur.

V. Vt adſit ſolers quiſpiam qui *diſti ćte* manum lictoris obſeruét: nam frau dem ſi induſtrius fuerit deprehendet & hoc Nota ante omnia.

VI. Ne lictor mortificet cuiuſquam carnem, aut leuiter tantum acu compungat, aut vt nuper nequam quidam faciebat, ſimulet tantum compungere interimq; clamitet ſe reperiſſe quod nuſquam fuit. Vnde mirum non erat ſi nec ſanguis reo difflueret, nec dolorem ſentiret.

VII. Ne lictor vtatur ſtylis doloſis, vt V.C. magicis & incantatis; vel ita fabrefactis, vt cum libet intrent ac vulnerent, cum non libet, intrare tantum videantur, in ſe ipſos reducti: quales ſunt cultelli ioculatorum.

VIII. Ne lictor ſciat verba incantatoria, aut artes quibus ſanguinem ſiſtat, ac huiuſmodi carnis ſtuporem inducat, vt quoſdam coniuratores ſcire intelligo, & inuentum audio Carnificem, qui hæc de ſe faſſus ac plexus

xus ſit, vt mirer nondum nos oculos aperire.

IX. Vt Iudices approbatum ac certum habeant nunquam Deum permiſſurum vt vel Dæmonis vel Sagarum malitia & arte huiuſmodi inurantur innocentibus, ſaltem malis.

X. Ea probatio non debet eſſe talis: Si hoc Deus permitteret, ſequeretur incommodum, quia innocentes pro Reis haberentur & plecterētur: nam id nego fore vt à prudentibus & peritis haberentur. Imo male ſic diſcurritur: Dicitur innocentes plexum iri ſi Deus permitteret iis ſigna imprimi; ſupponitur igitur quod ſic ſignati merito nocētes habebuntur, cum hoc ipſum ſit in quæſtione; Vnde in circulū vadit probatio: cur ſignati nocentes habebuntur & plectentur? Quia Deus innocentes ſignari non permittet? Cur autem Deus non permittet? quia ſignati nocentes habebuntur & plectentur. Perinde vt infra in ſimili oſtendam Dub.48. Argum.6.

Respondeo III. Quicquid ſit; exiſtimo non concedendum Iudici vt ex his



Digitized by Google

ſignis ad condemnandum procedat, dum res melius à doctis ventiletur, & auctoritas publica certi quid ſtatuat. Atq; hæc obiter ſaluo iudicio meliore. Scripſit nuper quædam Colonienſis quidam Iuris Doctor, in quibus multa, poſtquam perlegi, deſidero: ac proinde animus mihi erat, totum eius ſcripti neruum ſuccingere & incidere. Sed quia mihi dicitur, id ab * alio iam eſſe factum, acquieſco. Iterum moneo latere fraudem. Quærant ingenioſi ac deprehendent; ſolis oculis, & iis ſagacibus eſt opus. Nimis ſane Dæmon deſipiat ſi gregem ſuum ſignare velit, vt dignoſci & mactari poſſit. Quicquid tamen ſit, certe Delrius lib. 5. ſect. 4. indic. 8. & Binsfeldius pag. 626. quos alioqui Iudices magnifacere & ſequi iactant, indicium hoc ſtigmatum reiiciunt.

* *à Dn. P. Iordanæo in Proba Stigmatica.*

## DVBIVM XLIV.

### *An magnifaciendæ ſint denunciationes complicum in crimine Magiæ?*

QVæſtionem hanc ex profeſſo tractāt Binsfeldius in libello de confeſ-

eſſionibus maleficorum pag.238.&ſeq.
c Tannerus Theologiæ tomo 2.diſp.4.
le Iuſtitia, quæſt.5. dub.2. Nos Tan-
ieri ſententiam ſecuti, noſtra metho-
lo rem expediemus, & quæ adfert in
ontrarium Binsfeldius, diſſoluemus.
taque

RESPONDEO, Etſi denunciationes
omplicum ſecundum communem
odie praxin maximi momenti haben-
ur, ſic vt ordinarie tres, quatuor de-
iunciationes ſufficere putentur, ad ca-
iendum & torquendum,etiam ſecun-
lum quoſdam perſonas bonæ alioqui
amæ, conſentiente Binsfeldio, Delrio
ɛ aliis: nihilominus nos eas vel ſi pluri-
næ quoque fuerint,vt parui admodum
onderis, fallaces, deceptorias, vehe-
nenterq; merito ſecundum prudens
udicium ſuſpectas reiicimus, nega-
nusq; ad capiendam, torquendamq;
erſonam aliquam, ſeu bonæ ſeu malæ
amæ, niſi alia indicia grauiora acce-
lant,ſufficere. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Sententiam hanc plurimo-
um optimorumq; Doctorum authori-



Digitized by Google

tas tuetur, ſic enim (ſaltem quo ad pe-
ſonas bonæ alioqui famæ) ſentiunt d
Exceptis, Ancharanus, Alexander, An-
dreas de Iſernia, Bartolus, Berta*zzolus*,
Burſatus, Cornelius, Crauetta, Felinus,
Gomezius, Grammaticus, Marſilius,
Menochius, Paris, Raphael Cumanus,
Rolandus à Valle, Socinus Iunior, Vin-
centius Ondedus, & alij prout citatos
vide apud Tannerum l.c. nu.31. & ſeqq
qui proinde concludit hanc ſenten-
tiam non ſolum non eſſe nouam ſed
potius communem.

Ratio II. In conſtitutione crimina-
li Caroli V. quam in Imperio ſeruare o-
portet, cum Indicia maleficij comme-
morantur, non ponitur duorum vel
plurium complicum denunciatio, quæ
tamen poni debuiſſet, ſi aliquod eis
momentum ad torturam ineſſe Impe-
rator putaſſet.

Ratio III. Si aduerſariorum ſenten-
tia recipiatur, in poteſtate & arbitrio in-
famium & nequam perſonarum erit,
grauare & denigrare bonum nomen,
exiſtimationem & perſonam hominum
pro-

proborum: quod eſt abſurdum & periculoſum innocentibus, vt ex ſequentibus ſatis colliges.

Ratio IV. Vel illæ quæ alias denunciant vere Sagæ ſunt vel non ſunt: ſi non ſunt, iam quid hæ de complicibus ſcire poſſunt, quas non habent? mentiuntur de ſe & de aliis, vt à tortura ſe liberent, nullius igitur hæ denunciationes ponderis ſunt, ſi denunciantes innocentes ſunt: ſi ſint autem nocentes ſeu vere Sagæ, ne tum quidem illarum denunciationes vllum pondus habent: ſupponi enim debent ex natura ſua mendaces eſſe quæ Dæmone Magiſtro vſæ ſint. Veracitas igitur illarum nulla eſt, nulla igitur probatio quæ illarum veracitate nititur: nititur autem denunciatio, cum nihil niſi ab authoritate ſeu veracitate dicentis probet. Ergo. Autores Mallei alias ſeueri ipſum hoc agnoſcũt pag. 512. Cum enim dixiſſent maleficas quaſdam Magiſtras ſeruari poſſe, vt aut maleficiatis ſubuenirent, aut maleficas proderent, ſubiungunt; *nec tamen eorum proditioni ſtaretur eo quod Diabolus mendax ſit;*

*niſi pariter & alia indicia facti cum teſtibus occurrerent.*

Ratio V. Non creditur denunciationi ſeu teſtimonio teſtium qui *infames* ſint, vt eſt communis omnium Doctorum ſententia: ſunt autem Sagæ omnes hoc ipſo quod Sagæ ſint maxime infames. Ergo, &c.

Dices, Ex Binsfeldio de confeſſione maleficorum pag. 264. & 266. & ex Delrio lib. 5. ſect. 3. Infamia purgatur per torturam ſecundum communem ſententiam Iuriſperitorum; qui proinde ſtatuerunt, vt complici non credatur, niſi in tortura denunciationem fecerit. Si igitur infamis Saga in tortura denunciauit, vt fieri debet, ab infamia purgata eſt, fruſtra igitur infamia obiicitur. Vt hoc lector intelligat, ſciendum eſt quod aiunt hodie Iudices, teſtimonium perſonæ infamis non debere admitti: cum igitur quiſpiam in tortura de ſe confeſſus crimen, hoc ipſo infamis fit; non oportere ei de complicibus credi, niſi de iis per nouam torturam, quæ infamiam illam expurget, rogetur.



Digitized by Google

Vnde vt id fiat, torturam nouam pro complicibus edicendis ſuſtinere reus debet, quantumuis ſine tortura promptus ſit edicere: hæc hodie Iudicum praxis eſt. Sed non potui purgationem hanc infamiæ in conſtitutione Carolina reperire. Deinde non ſat intelligo, quo tandem modo tortura infamiam abſtergat, nam quicquid id eſt ex quo cuiquam infamia adhæret, id vtique nō annihilatur per torturam, ergo conſequenter nec infamia: Exempli gratia infamis Gaia eſt, hoc ipſo ſeu ex ea cauſa, quia Saga eſſe deprehenſa ac confeſſa eſt. An cum torquetur deſinit eſſe Saga? Non deſinit: nec deſinit igitur adhuc infamis eſſe, manente enim cauſa manet effectus: Pretioſa alioqui purgatio, ſi ſic facile tortura quamlibet infamiam purgare poſſet. Vnde vereor vt commune hoc Iuriſperitorum effatum non ſatis ſubſiſtat, dum aliter inſtruar. Simanchas certe ait huius ſententię autores ſine lege & ratione loqui. Quod ſi inſtruas in hunc modum: infami ideo de complicibus non creditur, quia
 time-

timetur ne mentiatur, adhibetur igitur tortura in hunc finem, vt ne mentiatur, vnde cum tortura tollat vt ne mentiatur, recte dicitur tollere infamiam, quia efficit, vt licet infami, tamen credi poſſit.

Resp. Ne ſic quidem difficultatem abſolui: Nam eſto Sagam torqueas in hunc finem vt ne mentiatur; an ideo mox finem conſequêris? æque mentietur poſt torturam: & qui eam mentitam redargues? Imo ſi poſt torturam ei credis, iam tanto amplius mentiri volet: ſtulta enim ſit, ſi non vſa hac occaſione alienum potius regnum deſtruat quam ſuum, cum æque tibi ſatisfactura ſit, ſeu nocentes ſeu innocentes nominauerit; quippe quam poſt torturam verum dicere perſuaſum habeas, vt haud dubie à Magiſtro ſuo intellectura eſt.

Dices II. Ex eodem Binsfeldio pag. 306. vt teſtes infames ad teſtimonium admittantur inductum eſt iure poſitiuo, ſic enim atteſtantur Philippus Cornéus, Philippus Francus, Petrus de Ancharano, Andreas Barbâtius, & ratio

ſua-

ſuadet. Idem ergo ius exigente neceſſitate, ne veritas in multorum damnum occultetur admiſit, vt in Exceptis infames teſtes admittantur,&c. ſic ille.

Resp. Negari quod aſſumitur, neque enim, quod ait Binsfeldius, ratio hoc ſuadet, ſed ſuadet contrarium. Citatos autem Autores aliosve non ſequimur, niſi quantum probant. Itaque vt teſtimonium infamis reiiciatur, Naturalis iuris eſt, & non Poſitiui tantum. Quanquam vt hoc melius intelligatur; diſtinguo, & dico, duplicis generis infames eſſe poſſe: Alios, qui ſunt *infamis vitæ, ſeu morum,* id eſt, criminoſi: Et de his infamibus intelligendi ſunt Autores, cum dicunt iuris eſſe poſitiui, vt reiiciantur teſtes infames. Alios, qui ſunt *infamis authoritatis,* ſeu diffamatę aut ſuſpectæ mendacitatis & periurij. Prioris generis vt à Iure poſitiuo repelluntur, ſic & cum videtur in exceptis & alioqui difficilis probationis criminibus admitti poſſunt, cum non repugnet criminoſum veracem eſſe. Poſterioris generis aio prorſus etiam in exceptis & occultis



Digitized by Google

reiiciendos eſſe, cum hi non modo Iurè Poſitiuo ſed etiam Naturali prorſus repellantur. Nam ſublato etiam omni Iure poſitiuo, qui hoc modo infames ſunt, eorum authoritas vacillat, aut ſaltem vacillare putatur: authoritate autem vacillante, vacillat quoque quod ei ſuperſtruitur; ſuperſtruitur autem teſtimonium, cum id non probet niſi ab authoritate: ergo & teſtimonium talium infamium vacillat: ſi vacillat autẽ, merito in re grauiſſima vbi de capite hominum agitur, reiicitur; dictat id recta ratio; non tantum Ius poſitiuum præſcribit. Nam vtique contra naturam rei eſt, & omnem penitus rationem, vt quem ponis conclamatæ authoritatis eſſe, ex eius authoritate ſeu veracitate argumentum ducas. Quare vlterius, cum nullum hominum genus ex natura rei & iuxta omnium communem ſenſum maiore laboret Infamia ſeu præſumptione *Mendacitatis*, quam quæ Sagæ iudicatæ fuerint, id eſt, patris mendaciorum diſcipulæ; ſequitur ſane nullum quoq; infamium hominum eſſe genus,

quod

quod minus ex natura rei ad dicendum teſtimonium admitti poſſit. Et hoc miror Binsfeldium non aduertiſſe. Et ſi ille autem vir tantus non aduertit, quid noſtri Inquiſitores facturi erant?

RATIO VI. Repelluntur in Iure poſitiuo teſtimonia quoque perſonarum vilium & inopum. Item in iure Canonico cum criminales cauſæ ſunt mulierum ob ſexus fragilitatem & mutabilitatem ingenij, *cap. forum* 10. *ſub finem de verborum ſignif. & cap.* 16. *mulierum* 33. *q.* 5. Item omni iure poſitiuo & naturali hominum delirorum, fatuorum, &c. Sed hæc omnia in Sagas conueniunt, ergo &c. Sunt enim plerumque perſonæ viles, mulierculę rudes, mutabiles, nonnunquam ſemifatuæ. Non igitur prudenter iis commodari fides poteſt, maxime ad equuleum qui probationes claras & pene certas poſtulat, vt ſupra docui etiam in exceptis.

RATIO VII. Docent omnes Iuriſconſulti ac Theologi in nullis criminibus quantumcunque Exceptis æſtimari

ſeu

ſeu admitti teſtimonium inimici ſiue hoſtis, intellige capitalis, idq́; ex iure Naturali: præſumitur enim cum ſit hoſtis nocendi ſtudium ac proinde mentiendi: Autores omitto, ne fruſtra in re omnibus indubitata chartas impleam: ſed negari non poteſt quæ veræ Sagæ ſint, iuratas eſſe humani generis & innocentum hoſtes capitales, quæ nemini non male velint ac nocere cupiant, ſi in earum ſit poteſtate; merito igitur quas edunt denunciationes, vt ſuſpectiſſimas contemnimus. Elegantibus ſane verbis rationem hanc Tannerus proponit: *Quod ſi ipſo*, inquit, *Iure naturali probatum aut Iure præſumptum odium accuſatoris, vel teſtis, denunciationem ſeu indicium eneruat & elidit: Quidni etiam præſumptum illud odium quod Sagæ aduerſus quoſlibet animo fixum gerere cenſentur, & à quo etiam apud Germanos nomen* Unholden *accepiſſe videntur, ſaltem eatenus eneruabit, ne ſola denunciatio ad torquendam perſonam denunciatam valeat?*

Itaque quid ſecutus ſit Binsfeldius, non ſatis perſpicio. Nam inprimis quodam

dam loco diſerte docet teſtimonium capitalis inimici penitus admitti non oportere etiam in Exceptis, commendatq́; doctrinam Ancharani, Franci, & Barbatij, quod nec Pontifex, vt inimicus ferat teſtimonium, diſpenſare poſſit, cum repellantur Iure Naturæ. Deinde quoque alio in loco non modo non concedit, ſed euincit Sagas omnes infeſtiſſimas, & capitales eſſe generis humani hoſtes. Denique tamen rurſus alio in loco, pro admittendo illarum teſtimonio non ſecus ac pro aris & focis pugnat. Connectat hæc qui poteſt.

Ratio VIII. Communis eſt ſententia, ſi ſocius criminis denuncians plures habeat defectus, vt V. C. non ſolum ſit infamis, ſed etiam ſimul vilis, abiectus, periurus, aleo, &c. tunc ne in exceptis quidem facere indicium ad torturam, imo nec ad capturam, imo nec ad ſpecialem inquiſitionem. Et recte: nam ſi ob vnicum huiuſmodi defectum teſtimonium alicuius reiicitur, quanto magis reiiciendum erit, cum plures reiiciendi rationes coactæ ſunt? Atqui vero quis

quis neſcit, in Sagis ſi vere tales ſunt, quam plurima huiuſmodi conuenire? nam & infamatæ authoritatis ſunt, & periuræ ſunt, quę Deo fregerunt fidem, & abiectæ ſunt, & mulieres peruerſæ ſunt, & concubinæ ſatanæ ſunt, & inimicæ generis humani ſunt, & homicidæ & hæreticæ & idololatræ & hypocritæ ſunt, & quicquid denique ſcelerum cogitari poteſt, penitus implexæ ſunt.

Dices I. His incommodis occurretur, ſi denuncians tanto ſæpius aut tanto acerbius torqueatur, nam ſicut per vnam torturam purgatur Infamia iuxta dicta ſupra, ſic etiam per torturas plures, aut vnam tanto acerbiorem purgabuntur defectus reliqui. Atque ita dicitur docere Delrius in appendice 2. lib. 5. q. 17. ego illam non habeo vt videre poſſim: Vt vt ſit.

Resp. Inprimis neſcio quæ hæc tandem laniena futura ſit torturas multiplicare aut iuxta proportionem nequitiæ Sagarum intendere: animus meminiſſe horret. Deinde autem iam ante dixi, non ſat capi quî tortura hos omnes de-

defectus purget, & vt aiunt, credibilia Sagarum teſtimonia faciat, quæ prius incredibilia habebantur? ſi mentiri Sagæ velint, & innocentes perdere, vt præſumi de capitalibus innocentum hoſtibus debet, æque id poſt torturam atque ante volent, nam æque ſane torqueri ſuper complicibus debebunt, & æque poſt hanc torturam Iudicibus ſatisfacient, ſeu veras ſuas complices accuſent ſeu fictas. Imo ſi ante torturam præſumebantur mentiri velle & poſſe in innocentes, vt eos perderent; multo amplius id præſumendum facturos poſt torturam, cum ſciant tunc creditum ſibi iri, & oraculum habendum quicquid dixerint. Et quæ cæcitas noſtra eſt, vt hæc non cogitemus?

Dices II. Cum dicitur plane reiiciendum eſſe teſtimonium complicis, ſi laboret pluribus defectibus ſeu criminibus, intelligi id debet, ſi laboret pluribus talibus quæ non ordinarie coniuncta & inuicem cõnexa eſſe ſoleant? nam ſi ea crimina ordinarie ſolent reperiri ſimul coniuncta, tũc non debebit plane

reii-

Digitized by Google

reiici teſtimonium talis complicis, ſed admitti poteſt.

Hanc diſtinctionem ſeu explicationem adducit Profeſſor Rinthel*enſis* D. Goêhauſius in lib. nuper edito, cui titulus Proceſſus iuridicus contra Sagas pag. 99. & 100. atque ait eſſe Doctorum Friburgenſium: vnde concludit teſtimonia Sagarum non eſſe reiicienda ob id quod pluribus defectibus laborent, quia hi defectus tales ſunt, vt ij ordinarie cum crimine magiæ coniuncti ſint.

Resp. Quorumcunque tandem *hæc* diſtinctio ſit, ridicula eſt: nam

I. Caret ratione: aut ſi non caret, ea detur; & acquieſcam.

II. Cur inhabilis ſit teſtis infamatæ authoritatis, cur inimicus, cur ſemifatuus, cur vilis, cur criminoſus, &c. ſingula ſuam propriam vel ex rei natura, vel Iuris poſitione cauſam habent; an hæ autem cauſæ deficiunt cum ordinarie aliqua ſunt coniuncta? id mihi oſtendi peto: quod ſi non deficiunt autem; parum apta iſta diſtinctio eſt.

III. Su-

III. Sumo tale exemplum: Execratur Reſpublica Idololatriam, Hæreſin, Latrocinium, Sodomiam, &c. & vehementius quidem eum in quo hæc omnia ſimul conuenerunt: an minus tamen Sagam execrabitur, quod in eam hæc non aliquandò tantum, ſed ordinariè & ſemper conuenire ſolent? Imò tanto magis execrabitur. Applica.

IV. Do aliud exemplum: Statuit lex vt pellatur vrbe qui latrocinium commiſerit: Item qui ſodomiam, item qui Idololatriam: hinc igitur contra Titium ſequitur eum maxime pellendum vrbe eſſe, quia is omnia hæc ſimul fecit, id tu concedis: Negas tamen ex vrbe expellendam Sagam eſſe, eo quod etſi hæc quoque eadem commiſerit, tamen excipi debeat, quia ea crimina ordinariè cum Magia coniuncta eſſe ſolent. Applica & vide quam hæc abſurda ſint.

Dices, Imo hæc diſtinctio ante data criminum non ordinariè coniunctorum & ordinariè coniunctorum omnino admitti debet, ob hanc rationem, quam dat citatus Profeſſor D. Goehauſius.

ſius. Sic enim ait his verbis: *Eſt vero*, inquit, *hac diſtinctio admittenda: enimuero quia malefici criminibus prioris generis quæ ſemper ſcilicet cum maleficio coniuncta ſunt, ſemper ſunt innodati; & ergo ſi maleficos teſtes ſeu ſocios criminis aliis criminibus & quidem illis ipſis cum maleficto coniunctis carere eſſet neceſſe, nullus eſſet teſtis idoneus, atque ſic lex criminoſos & infames ad teſtimonium in exceptis ferendum fruſtra admiſiſſet, ac fruſtra rei in crimine veneficiÿ de complicibus interrogarentur*, &c. ſic ille.

Resp. Hæc ratio magis ridicula eſt: nam ſenſus eſt, quaſi breuiter ſic dicas: hæc diſtinctio, quæ ego do valere debet, quia ſi non valeret, ego cauſa caderem, & eſſet verum quod dicit aduerſarius Sagis penitus non debere credi. Præclare! Porro de lege quod dicit, infra meminero Dub.49. Argum.1. & 3. Id nunc manet, cum in Sagis ea omnia concurrant ſimul, quæ & Iure naturæ, & iure poſitiuo inhabilem reddant teſtem, & concurrant quidem ordinarie & ſemper, omnino reiici earum teſtimonium debere, & reiici quidem ordinarie

Digitized by Google

narie & ſemper, ac proinde non ſolum fruſtra, ſed & pernicioſe innocentum inimicas, & ſemifatuas fœminas, & viles, & infames, & mendaces, &c. de complicibus interrogari.

Ratio IX. Si tanti denunciationes fiant, vt hodie fiunt, apertiſſimum nactus oſtium eſt humani generis hoſtis, vt infinitam innocẽtium ſtragem edat. Erit enim in ipſius ac ſuorum poteſtate ſitum, quaſlibet quantumcunq; innoxias denunciationibus obruere, & in capturam ac torturam grauiſſimã, quam pauciſſimæ perferre poſſunt, quandocunque volent liberrime tradere. Nam obſecro quid hic obſtare poterit? Iam pleni per Germaniam carceres ſunt captiuis, demus eas omnes vere Sagas eſſe: mox tollentur in neruum vt complices ſuas fateantur; ſcit eorum Magiſter quas nominauerit eodem rapiendas eſſe; cur non agat igitur qui ab initio homicida fuit vt eas nominent quas maxime perire optat? poteratne vel ipſe ſibi fingere commodiorem nocendi viam & tota Germania bacchandi?

Ridere ſoleo hodiernam multorum Iudicum ſimplicitatem: Non raro enim cum poſtulāt pro captiuis Sacerdotem, atque eum ad ſuum genium formare cupiunt, monent primum, inſtruunt, & identidem inculcant, quanta captiuarum malignitas ſit, quam promptæ eis & in numerato ſint mille mentiendi artes, quam ad omnem falſitatem ac dolos expedita eloquentia: Caueat ne iis credat, ne ſe decipi patiatur ficta ſanctitate; parum eſſe dæmonis mancipiis, ſi & ſacramentum mendacio profanent; nequiſſimum earum doctorem eſſe qui vel prudentiſſimis cautiſſimisq; imponat, & ſimilia; quæ eo ſpectant vt omnem iis fidem abrogent ſi tale forte quippiam Confeſſario exponant quo ad innocentiam quorundam quaſi quibuſdam veſtigiis perueniri poſſet. Itaq; eo vſque mendaces, periuræ, doloſæ, deceptrices ſunt, quibus credi nullo modo oporteat: Solum cum ad edicendas in tortura complices eſt ventum, iam eæ ipſæ mox omnem exuunt naturam, iam pertæſæ artium ſuarũ ſubito è men-

daci-

dacibus veraces fiunt, totæ candidę, ſinceræ, ſine dolo, quæ non niſi vere Sagas & nocentes accuſaturæ ſint innocentium oblitæ. Euge rem lepidam & feſtiuam! non eſt quod iam fraudem vllam metuamus, nihil hic periculi futurum eſt, non iam amplius mentiri poſſunt: pellem Æthiops mutauit. Pergite Inquiſitores, capite denunciatas, non dubium eſt quin reæ ſint, ducite in neruum & extendite dum fateantur, ſi id nolint, obſtinatas viuas incendite, nocentes enim ſunt: dæmon dixit, & in tormentis dixit. O Germania quid facis? timent Iudices ne fallantur à Sagis viri Apoſtolici qui & Angelos iudicaturi ſunt, ne ipſi fallantur non timent. Mentiuntur, aiunt, vel in ipſo Sacramento peſſimę deceptrices: in equuleo duntaxat verum dicunt, hic decipere non poſſunt. Quam hæc peruerſa & ridicula ſunt? quæ miror Magiſtratus Germaniæ nondum animaduertiſſe, tot conſiliariis & viris prudentibus vallatos. Quidni faciat iam dæmon, quod ipſi lubet, ſæuiat in quoſcunque volet?

& ecce iterum vnde tantus nobis numerus Sagarum!

Dices I. Non procedunt hodie ex ſolis denunciationibus, ſed ſi alia quoque indicia accedant.

Resp. Falſum eſt quod dicitur: nam plerumque aut certe frequentiſſime hodie ex ſolis denunciationibus procedunt: Id probo hoc Enthymemate: Procedunt plerumque ex denunciationibus & fama, ergo ex ſolis denũciationibus procedunt. Antecedens patet, cum omnia exemplis pleniſſima ſint: probanda igitur conſequentia eſt, quam ſic oſtendo: Iam ſupra docui dubio 34. famam hodiernam non eſſe niſi ſpurium rumorem, atque inſuper nunquam ferè in Iudicio legitime probari, proindeq́; eſſe indicium ipſo iure poſitiuo & naturali inualidum & nullum: quod ſi nullum autem, atque ex eo igitur ac denunciationibus Iudices procedunt, vtique ex ſolis denunciationibus procedunt. Præterea vero, eſto etiam demus hoc; non plane ſit nulla fama hodierna, ſed legitime ſemper in Iudiciis probetur

tur: quæro tamen ex Iudicibus quid putent? an nocentes eſſe omnes quæ ſolo hoc indicio malæ famę aut aliquo ſimili vrgeantur? nec hoc dicent: quid igitur? vt primum modo dæmonis auctoritas accedat, id eſt teſtimonia ab auctoritate & veracitate dæmonis ac mancipiorum eius ducta, iam putabunt? iam de earum culpa, quaſi certi erunt? atque ita certi, vt quaſcunque torturas denunciatæ ſufferant, quicquid in defenſionem ſui velint afferre, quicquid conſtanter negent, &c. per fas nefas debeant nocentes eſſe? nam hæc hodie praxis eſt. Vnde infero, adhuc igitur in Satanæ poteſtate eſſe, eas ſaltem omnes quæ diffamari, aliove quo ſimili inſufficiente indicio ſuſpectæ fieri potuerint, mox adiectis ſuorum denunciationibus in diſcrimen adducere. E qua re quam multas adhuc ſtrages machinari nobis dæmon poſſit, facile exiſtimare eſt: ignauus enim ſit, ſi hanc occaſionem ſine fructu ſinat effluere.

Dices II. At ſaltem ſi denunciantes conuertantur, non contemnendæ earum

rum denunciationes erunt, nec prædicta pericula timenda.

Resp. Adhuc timenda erunt & denunciationes contemnendæ, prout dubio ſequenti latius oſtendam.

## Dvbivm XLV.

### *An ſaltem denunciationibus credi debeat ob denunciantium pœnitentiam?*

Respondeo, Sic quidam occurrere ſolent iis quæ dubio præcedente diſſeruimus, ſed fruſtra. Rationes *iſtæ* ſunt:

Ratio I. Denunciationes hodie fiunt, & in acta referuntur antequam de conuerſione & pœnitentia cum denunciantibus actum fuerit: Nam ſic praxis hodierna habet, vt vix adeant ſpirituales viri, niſi cum in exteriore foro cognitio expedita eſt: Fruſtra igitur Sagarum pœnitentia obtenditur ne earum denunciationes contemnantur; cum denunciationes omnes pœnitentiam antecedant. Vtinam vero non niſi poſtquam ſerio ad Deum reuertiſſent,

tum

tum demum edicere complices iuberentur, & quidem non quas equuleus extorqueret, ſed quas conſcientia ſuggereret: nam & aliquid tunc ego denunciationibus fortaſſe darem, & aut fallor inſigniter, aut pauciſſimum Sagarum numerum breui haberemus. Scio quid loquar, etſi multa adhuc ſubiicere eſt neceſſe. Itaque non parum ſemper admiratus ſum prudentiſſimum Theologum Tannerum: qui inter ea media quibus Sagæ extirpari poſſint, hoc quoque raptim immiſcuit, vt rei non examinentur de complicibus niſi poſt acceptam ſuæ mortis ſententiam & præuiam pœnitentiam ac pręparationem ad bene moriendum à Confeſſario procurandam: *Sic enim ille* diſp.4. de Iuſtitia, q.5. dub.5. num.131. Sed medium hoc quorſum? Nec Inquiſitores id vnquam amplexuri ſunt, nec Magiſtratus mandaturi: Non amplexuri Inquiſitores; nam lucrum ſuum interuertent imminuto numero in quas procedant: Non mandaturi Magiſtratus; nam nemo ſuggeret, nec ipſi legent.

Ratio II. Non modo autem verum eſt quod dixi, nimirum excipi hodie & inſcribi denunciationes adhuc ante reorum pœnitentiam, verum etiam eas ipſas ſolas ab impœnitentibus factas Iudices valere volunt: adeo, vt poſtea vbi vere pœnitentes & ad mortem rite diſpoſitæ à Confeſſario iudicatæ fuerint, ſi circa complices quippiam enuncient, id non niſi eatenus à Iudicibus vel credatur vel reiiciatur, quatenus cum denunciationibus iis, quæ adhuc ante pœnitentiam factæ ſunt, vel conuenit vel diſſentit. Imo ad eas adhuc impœnitentium denunciationes tanquam ad lapidem lydium arguti homines probant, an vere quæpiam deinde pœnitens ſit, an falſò: nam ſi Titia V.C. quas adhuc impœnitens denunciationes edidit, eas poſt acceptum pœnitentiæ ſacramentum approbet & ratificet, id ipſis ſignum veræ conuerſionis eſt: tum Titia non ficte pœnituit. Sin autem reuocet, & torturæ coactione mentitam ſe pronunciet: tum fucum fecit, Confeſſario impoſuit, falſa eius pœ-

pœnitentia eſt, aut terrore mortis perturbata eſt, ac proinde ſuperioribus denunciationibus inſiſtendum eſt. Equidem ingenioſe! nam vtcunque res cadat, ſeu ratificet, ſeu reuocet Titia poſt ſacramentum pœnitentiæ, ſemper Iudices quod volunt obtinere poſſunt. Si ratificet, denunciatio eius prior vera fuit; quia vere pœnitens ratificauit: ſi reuocat, id non obeſt; quia vere pœnitens non fuit: Sic enim illi aiunt. Sed non animaduertunt ſcilicet, quam neutro modo ſubſiſtant. Nam

1. Cum admittunt Titiam vere pœnituiſſe ſi priorem denunciationem ratificet, committunt circulum: denunciationem enim eam fuiſſe veram aiũt, quia pœnitentia in qua ea denunciatio ratificata eſt, vera fuit, pœnitentiam vero hanc fuiſſe veram colligunt, quia ratificauit denunciationem quæ vera fuit: ſic denunciatio pœnitentiæ, pœnitentia denunciationi fidem facit, quod eſt in circulum diſcurrere.

2. Quo iure & facilitate illi dicunt falſam eſſe Titiæ pœnitontiam cum prio-

priorem denunciationem reuocat, veram autem cum ratificat, eodem iure & facilitate mihi dicere licebit oppoſitum, id eſt, falſam eſſe Titiæ pœnitentiam ſi priorem denunciationem in ſtatu impœnitentiæ factam adhuc ratificat, veram autem ſi eam reuocat. Alioqui ridicula plane res eſt; *vt cum dicit* pœnitens quod Iudicibus *placet*, iam clament vere pœnitentem eſſe, cum quod diſplicet, iam ficte pœnitere! Quis non hominum cordatorum hic *indignetur? nam hoc penitus nugari eſt.*

3. Etſi negent Titiam vere pœnitentem fuiſſe ſi priorem denunciationem reuocet, parum refert: nam nec pœnitens quoque fuit cum denunciationem primam fecit: id mihi ſufficit, manet enim quod volebam, denunciationes fieri à Sagis nondum conuerſis, atque ideo tanquam diabolicas ac fallaces adhuc reiiciendas eſſe.

Ratio III. Imo etſi id hodie (quod nunquam fiet) eſſet moris, vt iuxta conſilium Tanneri poſt pœnitentiam primum, & acceptam mortis ſententiam de-

denunciationes exciperentur : etſi etiam moris hodie apud multos ſit vt non ſtetur denunciationibus niſi poſt pœnitentiam eas ratificent , nihilominus adhuc aio cordatos viros merito denũciationes eas repellere : cum merito cordatus quiſque dubitare poſſit , an non pœnitentia hæc ſit conficta ? Nam

1. Clamant Inquiſitores dæmonem ſua mancipia ad grauiſſima quæque & inaudita omnibus ſeculis ſcelera iam primum vehementiſſime impellere: quod ſi verum eſt, (de quo alias) quid mirum igitur aut incredibile fuerit , ſi impellat quoque ad fingendam pœnitentiam?

2. Quotidianum eſt, quod & paulo ante dixi , vt quoties quæ rea reuocat quod in tormentis faſſa eſt, exclament Iudices decipere eam Confeſſarium, & ficte pœnitere : ſat igitur ipſi iudicant procliue admodum his reis eſſe vt fingant & fallant : merito igitur id cordatus quiſque etiam cum denunciationes poſt pœnitentiam faciunt aut ratificant ſuſpicabitur.

3. Nec

3. Nec obſtabit quod Confeſſarius iudicet Titiam V.C. vere pœnitere. Nam vt Iudices illi contra quos loquor aperte fatẽtur, Confeſſarius in eo foro conſcientiæ non eſt audiendus; ſi enim reuocet Titia quæ in torturis faſſa eſt, etſi dicat Confeſſarius vere pœnitentem eſſe, aiunt illi tamen, vt vidimus, eum decipi: doloſiſſimum eſſe *Satanam*, & mille artificem: *credendum hypocritis* non eſſe. Idem igitur & cordati viri dicent cum Titia denunciationes ratificabit, ac quo iure iſti ad mentem *ſuam*, eodem & hi ad ſuam vti volent. *Deniq;* impoſſibile erit vnquam certo ſcire an Titia vere, an falſo pœnituerit: nam quis Iudex erit? an Confeſſarius? atqui hunc iſti, vt iam diximus, non admittunt: an ipſi igitur erunt? at hos certe in hoc foro Eccleſia non admittet.

4. Non deſunt magnæ cauſæ, cur Titia volet fingere, & cur dæmon eam ad fingendum impellere. Videt Titia de *ſe* actum quidem eſſe, quod ſi ficte tamen pœniteat, mitigationem pœnæ ſperare poſſe: poſſe & innocẽtes (quæ communis

nis ei cum dæmone voluntas eſt) in diſcrimen adducere, & ſe nō ſegniter vindicare, dum ſcilicet per denũciationes ſuas, hoc veluti pęnitentiæ ſigillo roboratas, tanto certius & minore cum Iudicum ſcrupulo ad innocentũ necem zelum Principum extēdet. Vtentur igitur occaſione ſua generis humani hoſtes, & qua libidine nocendi innocentes denũciare, eadem & denunciationes (vt infirmæ non ſint) ficta ſanctitate veſtire volent. Deniq; hæc ſemper omnium ſumma eſt: dictorum Iudicum proceſſum auctoritati & veracitati dæmonis incũbere, ac eatenus ſolum non falli, quatenus qui omnis doli & falſitatis artifex diuinis literis præſcriptus eſt, non fallit.

Ratio IV. Imo etſi concedam (concedam enim) non ſimulate conuerſam quampiam ad Deum eſſe ac veriſſime pœnitētem: nihilominus ne ſic quidem denũciationibus auſim fidere in re tanta tam periculoſa, eo quod & tunc fallere denuncians poſſit, vel quia vix aliter audeat, vel quia aliter non ſciat, prout Dubio ſequenti exponam.

Dv-

# DVBIVM XLVI.

## *An ſaltem denunciationibus credi debeat, ſi infallibiliter certum ſit denunciantes vere conuerſas eſſe, & verum velle dicere?*

RESPONDEO, Sic denique videri poterat; ſed nec mihi nec cordato cuipiam qui attentius conſiderare voluerimus videri debet. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Solent Iudices, ſi quæ reuocent denunciationes ante factas, eas quoque ad torturam reuocare; & hoc ipſum, quod eſt oppido notandum, lictores eis minari ſolent, ac pro ſingulari affectu ſuo quo ad exſtirpanda zizania feruntur, ſedulo ne id neſciant præmonere. Quare etſi Titia V.C. vere conuerſa eſſet, & ſincere pœnituiſſet, non auderet tamen non ratificare denunciationes ante factas. Vnde vlterius ſi eas ratificet, non continuo hinc *euincetur* eas igitur fuiſſe veras: nam & vere pœnitens formidare pœnas tam graues poteſt, earumq; metu continuare menda-

dacium, cum fragilitas humana magna ſit.

Incredibile eſt quam hic multa mihi exempla ſuppetant, & quam multæ pereant per huiuſmodi falſiſſimas delationes vi tormentorum expreſſas, quæ deinde irreuocatæ manent. Neſciunt qui tormenta non guſtarunt, quam ij qui guſtarunt ſupra omnem modum formident: Ex quo fit, vt paucæ adduci poſſint, vt denunciationes ſuas falſas, ſaltem omnes, conſtanter reuocent. Reuocant igitur aliquas duntaxat, vt ſic & conſcientiam, quantum poſſunt exonerent, & ſimul tamen repetitionem tormentorum declinent: quam non declinarent, niſi vtique vnam minimum alteramve irreuocatam relinquerent: Vnde rurſum tamen his relictis, quantum creetur malum, facile lector intelliget; quippe cum paſſim ex hoc ipſo concludant Iudices, hanc vnam igitur aut alteram, quæ reuocata cum aliis non ſit, tanto certius nocentem eſſe, atque ideo tanto ſęuius in eam ſi neget animaduertendum. Res ſane



Digitized by Google

vndiquaque periculoſa, quam fuſius deducere non placet, dum id modo pateat, & vere pœnitentem eſſe Titiam poſſe, & nihilominus ſi quam ante feciſſet falſam denunciationem, eam metu repetendæ torturæ irreuocatam relinquere. Vah quantas dabunt pœnas omnes ij, non modo Iudices ſed & Iudicum Confeſſarij qui hic non attendunt, & tam difertis à me verbis admoniti non modo nondum animum adhibent vt explorent, ſed & frendent quod inſtruantur!

Ratio II. Quantumuis vero & pœnitens eſſet Saga aliqua denuncians, & id infallibiliter conſtaret, velletq; vere denunciare: nihilo tamen minus fallaces denunciationes eſſent ob periculum deceptionis ipſarum Sagarum. Nam conſtat & conceditur etiam ab aduerſariis, Sagas non ſemper realiter ad conuentus & tripudia ſua transferri, ſed ſæpe per ſolam imaginationem; ſic vt dæmone ſeu per ſe, ſeu per adhibita naturalia medicamenta phantaſiam varie commouente, exiſtiment fuiſſe, vidiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, & feciſſe, quæ nec viſa nec facta vllibi ſunt: perinde vt iis accidit, qui in ſomno non veris rebus, ſed earum imaginibus luduntur. Extant hac de re exempla, quę quod paſſim circumferuntur & nota ſunt, breuitatis cauſa omittimus. Quinimo valde credibile eſſe, quod Sagæ ſæpius phantaſticis huiuſmodi translationibus & conuentibus, quam veris fruantur, docet Tannerus Theologiæ tomo 1. diſput. 5. quæſt. 6. dub. 7. Quo poſito, quis non videt, neceſſario fallaces delationes eſſe, quantumuis denunciantes conuerſæ ſint, & nolint fallere. Nam vnde ſcit Iudex an hæ & illæ denunciantes non ſint ex ea Sagarum claſſe, quæ meris phantaſmatis à dæmone luduntur, ideoq́; fuiſſe & vidiſſe ſe putent vbi non fuerunt nec viderunt? Illæ ipſæ certe inter phantaſmata & res veras non ſatis diſtinguunt. Iurant ſe fuiſſe vbi non fuerunt: Nota ſunt exempla vbi rerum harum curioſi cum teſtibus adfuere, & ſopitas huiuſmodi Sagas, etiam verberibus ſignatas apud ſe præſentes retinuere:



Digitized by Google

quæ tamen vbi ſomnum perdormiuiſ ſent, in conuentibus ſuis fuiſſe, & mir ibi egiſſe pertenderent. Ita veram ren putabant eſſe, quam non niſi in imaginatione paſſæ fuerant. Narrat experimentum tale quod ipſe ſumpſerit Baptiſta Porta Neapolitanus in magia naturali, editione prima. Quod ſi dicas, mirum eſſe & incredibile, quod qui neſciat diſtinguere, quæ realiter, quæ imaginarie ſit paſſus: etſi enim cum interdum ſomniamus, in ipſo ſomno omnino putemus nos vigilare; cum tamen deinde euigilamus, ſatis clare cernimus nos tantum ſomniaſſe. Reſpondeo, id quidem ita nobis ordinarie contingere, vt ſatis diſcernamus ſomnum à vigilia in vigilia: nego tamen incredibile eſſe quin aliter poſſit fieri, & in Sagis fiat, vt dæmon, qui mille artifex eſt, ita mancipia ſua turbet, vt inter rem veram & falſam non diſcernant: *præcipue* cum ante pleręque delirę mulieres ſint, aut ad delirium à natura ſexus illius diſpoſitæ, quo facilius in materia apt nequitiam ſuam exercere ille artife

po

poſſit. Quicquid autem ſit, moneo Principes, vt examinent Iudices ſuos, iubeantq; proferre ea ſigna quibus certo ſe conuicerint, eas omnes quas hactenus plexuerunt, & de complicibus rogarunt, ex earum fuiſſe claſſe, quæ non phantaſtice ſolum tralatæ ſint. Niſi enim de hoc fundamento ſe primum certo conuicerunt, procedere ex eo ſane in re tanta non potuere: Aut ſi proceſſere: tum quidem peſſime, & contra rationem proceſſere. Et ecce quæ Iudiciorum noſtrorum ſanctitas! cum iſta non modo non annotamus in Protocollis, ſed ne cogitamus quidem niſi cum monemur; & cum monemur ne tum quidem, niſi ęgre admodum, intelligimus.

Ratio III. Quin imo poſito quod certus eſſet Iudex, denunciantes ſuas ex illarum eſſe claſſe, quę *vere* non phãtaſtice transferantur & conueniant, nihilominus adhuc denunciationibus his prudenter inniti non poteſt. Nam vt prudenter iis nitatur, non modo conſtare ei debet quod Titia V.C. non men-



Digitized by Google

tiatur, cum dicit ſe Gaiam in conuentu vidiſſe; verum etiam, quod hæc proba conſequentia ſit: Titia vidit Gaiam in conuentu, Gaia igitur in conuentu vere fuit. Vnde enim nouit, an non forte dæmon ibi Gaiam repræſentauerit, vt adeſſe putaretur quæ longiſſime abeſſet? Qua de re quoniam difficultas eſſe poteſt, ſequenti dubio latius agendum erit.

## Dvbivm XLVII.

### *An Dæmon in conuentibus Sagarum repræſentare poſſit innocentes?*

Respondeo, Videri quod ſic: & quidem non modo quieſcentes, vt quidam facilius concedunt, ſed etiam cum cæteris tripudiantes. Rationes iſtæ ſunt:

Ratio I. Ita factum eſſe exempla docent: Ergo fieri poteſt. Noui monaſterium vbi contigit & in acta relatum eſt, quod iam dicam. Accuſatus à multis Sagis fuit quidam eius monaſterij religioſus, quod in conuentu viſus fuiſſet; addita etiam perſona cum qua tripudiaſſet,

ſet, & ſuper hoc quoque pœnitentes mortuæ ſunt, cum nihilominus tamen teſtimoniis totius conuentus conſtaret eum illis ipſis horis quibus viſus diceba-tur, cum cæteris in choro præſentem fuiſſe, atq; adeo in officio diuino occu-patum. Vel mentitæ igitur denuncian-tes fuerant (quod ego fieri ordinarie exiſtimo) ſeu vi tormentorum, quod ſolent innocentes; ſeu malitia, quod nocentes: vel ſi mentitæ non ſunt (vt Iudices ſupponunt) imaginem pro re viderunt. Poſſum & alios nominare *vi-ros ſanctos* hodie ſuperſtites, imo & *Prin-cipes* quos in ſaltibus ſuis vidiſſe iam plu-res faſſæ ſunt. Alia circumferuntur ex-empla, quæ quod nota ſint, & chartam ſolum impleant, omitto, vbi ſimiliter viſæ in tripudiis perſonæ dicuntur, quæ non ſolum eo tempore alio in loco e-rant, ſed etiam per deſtinatos ad id te-ſtes ne abeſſent ibidem cuſtodiebantur.

Ratio II. Poteſt ſe Dæmon tranſ-formare in Angelum lucis, vt & Scriptu-ra teſtis eſt, & exempla ſunt paſſim in vi-tis ſanctorum, ergo etiam repræſentare

innocentes, præſertim cum non incredibile ſit Deum ipſi multa permittere.

Ratio III. Argumenta, aduerſæ ſententię non ſatis ſolide in contrarium probant, ergo merito & prudenter noſtræ opinioni adhęrendum eſt, nec ſatis alteri fidendum. Vbi nota; quod mihi, qui affirmo dæmonem repræſentare poſſe innocẽtes, non incumbat in conſcientia opinionem meam ſolide probare: ſed id incumbat in hoc caſu conſcientiis aduerſæ partis quæ negat. Ratio iſta eſt, quia ad me quidem, ſeu id poſſit dæmon, ſeu non poſſit, parum attinet. Nolo enim ex hoc ſeu illo poſito quicquam aduerſus quenquam moliri, ſed tantum nonniſi vel animi gratia vel ſtudio monendi alios laborem hunc probandi aſſumere; in quo etſi non ſubſiſto nec ſufficienter probo, nullum aliis periculum aut injuriam creo. At vero cum aduerſa pars ſententia ſua ſuppoſita, ex eo velut fundamento *ad* decernendum de capitibus humanis procedat; neceſſe eſt, niſi temere ad rem tam arduam iuiſſe velint, vt funda-

da-

lamentum hoc ſolide iactum habeant: deoq́; niſi validis id argumentis probaierint, in conſcientia nequaquam ſubſiſtent. Imo non ſolum in conſcientia, ſed & ſecundum dialecticam in hoc caſu neganti quod id dæmon poſſit, incumbit probatio. Etſi enim dici ſoleat affirmantis non negantis eſſe probare: tamen cum (quod obiter Lector diſcat) per affirmantem hic intelligatur is qui ponit, hinc ſi quis propoſitionem aliquam ſeu affirmatiua ea ſit, ſeu negatiua, tanquam veritatem ſeu fundamentum quoddam ponit, cui ſuperſtruere adhuc aliud vult, ei neceſſe eſſe, vt eam propoſitionem probet. Vnde cum aduerſarij hanc propoſitionē negatiuam, quod dæmon non poſſit repræſentare innocentes, primum ponant, ac deinde ei ſuperſtruant ſuum proceſſum, ipſi eam negatiuam probare debent, cum ſint hoc caſu affirmantes, id eſt, ponentes ſeu inferentes; aut iniqui erunt qui in id incumbunt fundamentum, quod non ſolide iecerunt: ſatis eſt nobis attuliſſe rationes dubitandi; ſatis item, eſſe

 ho-

homines in mundo non plane doctrinæ omnis expertes, qui valde metuant, ne dæmon id Deo permittente, & poſſit & faciat: ſatis quoque quod nos hac ſuper re Iudices monemus. Nunc ipſi ſi nihilominus in vitæ ac necis cauſa acerbiſſimis tormentis in perſonas quaſlibet graſſari volunt, fundamentum hoc ſuum vel probare argumentis viro cordato dignis debent, vel excuſari non poterunt. Videamus igitur qui probent, quam ſolidas rationes adducant.

## DVBIVM XLVIII.

*Quæ ſint Argumenta eorum qui probare nituntur dæmonem non poſſe ſeu velle in tripudiis repræſentare innocentes?*

RESPONDEO, Argumenta hæc congeſſit Binsfeldius, ad quem & Delrius remittit. Vt non parum fluctuem quam ſolide ſemper in res magicas diſquiſitum eſſe, debeam præſumere; cum ad eius remittimur argu-

Digitized by Google

gumenta, cuius ego nondum vllum ſolidum reperire potui, vti mox ex vocum ſolutione conſtabit. Itaque argumenta ea ex Binsfeldio ponam ordine, niſi quod argumentum primum ex Delrio ſumam.

ARGVMENTVM I. Dici non poteſt quam nuper quidam Confeſſarius Sagarum alioqui non peritiſſimus, in verbis Delrij triumpharet, cum ea ex allato eius libro in hunc modum recitaſſet: *Poſſent*, inquit Delrius, *dæmones aſſumpta hominum innocentum figura in conuentibus ſuis comparere, ſi Deus id non impediret, quem id hactenus permiſiſſe mihi & illectum & inauditum adhuc in crimine Magiæ.* Sic ille lib. 2. quæſt. 12. num. 5. Et mox ibidem: *Si Deus id ſinit, mox fraudem aperit, vel propter alia peccata in eorum remiſſionem, vel ad maius meritum, vel gloriam ſufferentiæ id permittit.* Ex quo dictus Confeſſarius: *Ecce*, inquit, *illectum hoc & inauditum eſt ipſi Delrio? quis igitur id factum credat?*

RESP. I.

Resp. I. Argumentum hoc nimium probat & ſic nihil: probat enim infinita alia quæ facta vere ſint, facta non eſſe, quia hæc Delrio illecta & inaudita ſint: mihi certe & pluribus mecum nec eſt illectum nec inauditum.

Resp. II. Inquiſitores hodierni nouas indies machinationes, noua ſcelera Sagarum hactenus inaudita nouis tormentis extorquent, & apud Principes ac vulgum mire crepant. Quid ſi vtar nunc dicto argumento & omnia illa negem, eo quod illecta ea ſint & inaudita Delrio, quid dicent? indignabuntur ſane ac contendent noua indies Deum permittere: & cur non mihi igitur concedant inter tot noua iſta hactenus illecta & inaudita quæ Deus dæmoni in conuentibus permittat, etiam has repræſentationes intercurrere? dicam hoc vnum etiam ex illis nouis eſſe.

Resp. III. Quæ viſæ in conuentibus denunciantur, certo habentur nocentes, & certo ibi corporaliter fuiſſe: itaq; tam diu torquentur donec fateantur, & ſi quædam torturas ſuperant ac non faten-

fatentur, iam eæ tamen comburuntur viuæ vt obſtinatæ, nam omnes ſimpliciter nocentes eſſe debent: Quid mirum igitur ſi illectum eſt & inauditum Delrio, nullas innocentes in conuentibus comparuiſſe?

Resp. IV. Si excipias non ita fieri vt dixi, ſed quæ faſſæ in torturis non ſint, dimitti ſecundum iura, & non comburi: iam rurſum id mihi ſeruit: nam illæ igitur quæ dimiſſæ ſunt, innocentes iudicatæ ſunt, non igitur illectum ſaltem & inauditum eſt innocentes aliquas in tripudiis comparuiſſe. Nihil igitur hoc quidem argumentum euincit.

Argvmentvm II. Dæmon huiuſmodi repræſentationes non appetit. Ergo. Probatur antecedens: nam perſpectum eſt ei ex ſacris literis Deum non permittere, vt electi tribulentur aut tententur niſi ad meritum, probationem & bonum. Ita Binsfeldius.

Resp. I. Argumentum hoc nimium probat, & ſic nihil: nam iiſdem plane verbis probari poſſet, dæmonem non percuſſiſſe Iobum à capite ad plantam pe-

pedis, nec denique vllorum vnquam martyrum exquiſitas pœnas ac necem ſuis artibus promouiſſe. Dicam enim totidem ſyllabis: *Dæmon huiuſmodi artes non appetit; perſpectum eſt ei ex ſacris literis Deum non permittere, vt electi tribulentur aut tententur, niſi ad meritum, probationem & bonum.*

Resp. II. Non omnes quos Dæmon repræſentaret electi eſſent, eſſent aliqui mali & nequam in mortalibus peccatis conſtituti, etſi Magiæ criminis exſortes atque eatenus ſaltem innocentes. *Etſi* igitur non appeteret dæmon ob allatam cauſam repræſentare electos, non continuo probatum eſt, non appetere innocentes. Nihil igitur & hoc argumentum euincit.

Argvmentvm III. Hæc doctrina, inquit Binsfeldius, quod Dæmon innocentes repræſentare non poſſit, maximum robur ſumit ex conſcientiis innocentum. Quis enim innocens angitur aut timorem concipit, ne à Dæmone inter maleficos & Sagas repræſentetur? alias ſi hoc poſſet Dæmon, ſemper omnes

mnes merito in timore & tremore verſaremur, ne in fabulam & tragœdiam, in qua ſalus animæ & corporis periculo exponeretur, traheremur. At ſecuræ conſcientiæ nullo modo ſibi metuunt. Ergo: ſic ille.

Resp. I. Argumentum hoc nimium probat, & ſic nihil: nam iiſdem ſyllabis æque probari poſſet innocentes non poſſe nec ſolere à Sagis incantari, & maleficiis in omnem vitam miſerrimos reddi. Probo: Quis enim innocens cum mane ſurgit angitur aut timorem concipit ne ea die à Sagis incantetur? alias ſi hoc poſſent Sagæ, ſemper omnes merito in timore & tremore verſaremur, ne maleficio aliquo afflaremur, quod in omnem vitam nos miſeros redderet. At ſecuræ conſcientiæ non ſibi metuunt. Ergo

Resp. II. Securi & abſque metu ſunt innocentes, non quia omnes exiſtiment ſe à dæmone exhiberi non poſſe, aut quaſi id dæmon interdum non faciat: ſed quia exiſtimant, etſi id fiat, ſibi tamen non obfuturum, eo quod nun-

nunquam tam imprudentes & indiſcretos Iudices ad tribunalia ſeſſuros ſupponant, qui ex diabolicorum hominum denunciationibus proceſſuri *ſint*, pluſq; credituri nequam dæmonis mancipiis quæ accuſent, quam integritati morum quæ excuſet.

Resp. III. Vbi feruenter in maleficos inquiritur, & Iudices eius ſunt ſententiæ de qua loquimur vt ex hiſce nugis procedendum putent, nego innocentes non ſibi metuere: falſiſſimum hoc eſt: plurimos ego ſcio optimos conſcientioſiſſimoſq; homines qui vehementer formidarunt, atque adeo nonnullos qui alio transtulerunt ſedem. Scio qui me alioſq; hac ipſa ſuper re conſuluerunt, ſcio qui cum in vrbem vicinam excurriſſent conſulendi & generaliter confitendi cauſa, vbi reuerſi ſunt ſequenti die, hoc ipſo indicio eſſe captos, quaſi fugam adornaſſent, *nec* tamen fugere potuiſſent Deo vindice eos turbante & retrahente; cumq; contrarium teſtari vellent, permiſſum id eis non eſſe: ſcio nonnullos iam tum eſſe me-

meditatos ſi comprehendantur & cogantur vi pœnarum ſe reos dicere, quas texere narrationes velint, vt probabiliter mentiti videantur; ne ſi quippiam non congruat, in neruum repetantur; ſcio & quas multis reſolutiones dederim circa hos ipſos conſcientiæ caſus, quatenus ſine peccato mortali in torturis contra ſe vel alios mentiri liceret aut non liceret: Vt ſane in multis locis inſigniter multi boni formident. Itaq; argumentum hoc Binsfeldij nihil facit, niſi vt me potius contra ipſum iuuet: ſic enim conficio: ſi tam paruam in his rebus experientiam aut cognitionem Binsfeldius ſumpſit, vt adeo ignoret, quæ paſſim ſunt nota, quid ei tandem ſimilibusq; Doctoribus in his cauſis tribuendum eſt? ſedeant in muſæo ſuo, & quod vtiliſſime hactenus fecere, lucubrationes Theologicas ad nos emittāt: tum autem reorum cauſas, obſecro, ne attingant tantæ authoritatis viri, niſi hanc ſaltem aliquando ad incarceratorum aures propius inclinarint, & pœdore carcerum ſaturi abſceſſerint; qui vt

 ha-

habeo experientia, excitare ſpiritus ac ſpecies ſolet, ne non multo quam alias clementius philoſophemur.

Argvmentvm IV. Quod nunquam factum eſt, neque fit ſecundum communem rerum curſum, nequaquam fieri poſſe, ſi ex facti contingentia incommoda ſequantur, iudicandum eſt. Sed nunquam, aut rariſſime auditum eſt ex conſtantibus, & perſeuerantibus confeſſionibus, quod innocentes repræſentati ſint in conuentibus, imo ſemper experientia compertum, *ibi* repræſentatos eos, qui fuerunt rei tanti criminis. Ita Binsfeldius.

Resp. Negando minorem. Vnde enim ſcit Binsfeldius, nunquam innocentes repræſentatos, & accuſatos, ac plexos eſſe? vnde ſcit omnes repræſentatos, & accuſatos tanti criminis reos fuiſſe? an ex conſtantibus confeſſionibus, vt ait? at vnde nouit has confeſſiones omnes veras fuiſſe, nec metu, *aut vi* quæſtionum expreſſas? Iam tum conſtat plurimos eſſe qui contra ſe mentiantur: vnde ipſi notum eſt, eas ipſas, qua-

Digitized by Google

quarum conſtantibus confeſſionibus nititur, non in iſtarum numero fuiſſe, quæ mentitæ ſunt? Væ illi, quæ ſemel in tormenta pedem immiſerit, non retractura vnquam quin omnia fateatur quæ cogitari potuerint. Spectat huc reſponſio tertia ſupra data ad argumentum primum, quam repete. Igitur ſic ſæpe mecum ratiocinari ſoleo; quod non omnes nos magi ſumus, hanc vnicam eſſe rationem, quod tormenta ad nos non attingunt: veriſſime quidam nuper inter ſcyphos,& ipſe magni Principis Inquiſitor iactare auſus eſt, ſi ſub ſuas manus, & tormenta vel ipſe Pontifex veniret, ſine dubio tandem ſe maleficum quoque eſſe confeſſurum. Idem faceret Binsfeldius, idem ego, idem cæteri, pauculis robuſtiſſimis exceptis. Nihil igitur & hoc argumentum euincit: repete autem, vt dixi, reſponſionem tertiam ſupra datam ad argum. I.

Argvmentvm V. Si Dæmon repræſentare poteſt innocentes in conuentibus maleficorum, poterit & innocentes in forma homicidæ, adulteri, forni-



Digitized by Google

catoris, cum omnium innocentum maxime interitum exoptet. Accuſetur quis ergo homicidij, latrocinij, furti, adulterij: eludet accuſatus, ac dicet culpa ſe vacare, Diabolum ſe transformaſſe in eius faciem, & facinus patraſſe, &c.

Huius argumenti nodum, inquit Binsfeldius, ſoluere non poterunt, qui ita vrgente conſcientia, vel non raro excæcantibus affectionibus laborant. Sic ille.

Resp. Quod Binsfeldius eos, *qui in* noſtra ſunt ſententia, ſic abſolute perſtringit, quaſi laborent excæcantibus affectionibus, & vrgente conſcientia, ſine fundamento facit. Interim ſi, qui affectibus laborant, ſoluere eius nodum non poſſunt, nos certe non laboramus, cum ſoluere poſſimus: dicimus enim plane diſſimile eſſe à noſtro caſu quod ipſe affert; id quod ſic oſten*do.* Attendat lector & intelliget.

Si eſſet locus aliquis, in quo certis conſtitutisq; temporibus ac horis varia apparere ſpectra, & miros ibi ludos, ac

va-

varias hominum affectiones effingere ſolerent; tum autem Sempronius accuſaret Gracchum, quaſi cum illo ipſo tempore atque hora in eo loco conſpexiſſet homicidium patrantem, merito prudens quiſque Iudex ſufficienti cum ratione dubitare poſſet, ne fortaſſis non Gracchus is vere fuiſſet, ſed eius loco inane ſpectrum; Inſulſe autem faceret, ſi ſine aliis indiciis hac ſola cauſa Graccho quæſtionem decerneret. Idem autem in noſtro caſu eſt. Aiunt enim iam ante aduerſarij, certa eſſe Dæmoni loca atque tempora, quibus feſta & conuentus, ac tripudia ſua cum Sagis celebret: Aiunt etiam variis ibi repræſentationibus ac formis, nunc hac, nunc illa ſpecie, viri, mulieris, militis, virginis, adoleſcentis, hirci, leonis, &c. ſuorum aſſeclarum oculis obludere; ſi qui abſunt à conuentu, eorum quoque vices, vt aduerſarij fatentur, ipſe ſupplet: quædam vere, plura ficte inibi geruntur, putant delicatè edere, bibere, dormire in lectis eburneis, &c. cum non niſi morticinis veſcan-

ſcantur, camerinam potent, & ſub patibulo quieſcant. Omitto enim illuſiones omnes cæteras, quæ in hiſce ſacris ſolemnes ſunt, ſic vt nihil æque ibi agere videatur infernalis hiſtrio, quam vt meris laruis, ſpectris, & falſis imaginibus confingendis indulgeat. Quæ cum Ita eſſe fateantur omnes, ij contra quos ago (nam quid ego de conuentibus iis ſentiam, alias declarabo) prudenter ſane dubitabit quicunque is Iudex erit, an non in hac ſpectrorum omnis generis confingendorum facultate ad aliarum quoque perſonarum, maxime in peccato mortali exiſtentium fictionem licentia dæmonis ſe in his locis extendat: prudenter etiam formidabit, ne qui in his locis eo tempore viſus eſſe dicatur, is ipſus ille fuerit, an vero vana aliqua larua oculis obiecta. Ex quo tamen minime ſequetur, quod vt quiſque in alio quouis loco nullis talibus illuſionibus ſeu phantaſmatis obnoxio latrocinari, furari, adulterari, &c. conſpectus ſit, tum quoque ſuſpicari debeam, ne à ſpectro ſim deluſus. Longe enim diſpar ratio eſt. Ex quibus ad-

Digitized by Google

modum iam liquet, quam plane nihil in eo Binsfeldij argumento inſit, quod ipſe pene inſolubile putabat: quamq; male nos arguerit habere oculos clauſos, ſic enim ait, quod iſta non videamus, quæ ipſe ſe in allato argumento videre putabat. Poſſet & aliter reſponderi; ſed quod reſpondi ſufficit. Et totam vim argumenti ſufficienter eneruat.

ARGVMENTVM VI. Deus non permittet vnquam Dæmoni, vt innocentes exhibeat, ergo & non poteſt.

RESP. Negando antecedens. Vnde hoc certũ eſt aduerſariis, quod Deus id non permittet? multa alia grauiora permittit Deus, vt ſupra docuimus, neces Martyrum, infantulorum, cõculcationes ſacrarum hoſtiarũ, & ſimilia infanda. Præterea permittit Deus vt Dæmon tum in ſpeculis, tum aqua, oleo, aliisve exhibeat imagines variarum perſonarum cum paſſim curioſi ad ariolos & diuinos accedunt, conſuluntq;, quis furtũ in domo factum cõmiſerit, quis equos abegerit, quis pecus maleficio infeſtauerit, quis filiæfamilias futurus ſit ſponſus

ſus, quis primus è familia moriturus, aliave id genus nimis vſitata ac nota, in quibus tamen ſæpe fallit, & innocentes quoque, vti conſtat, falſo indicio onerat. Noui ego virum probum, doctum, & religioſum, egregia forma, in quem cum procax quædam mulier, & Saga inſana furore Veneris exardere cœpiſſet, nec tamen vlla via, quas varias tentarat, potiri optata ſpe poſſet, hoc vno ſe vtcunque leniebat, quod dæmonem ſuum concubinum in illius ſemper faciem formatum accipiebat, vt ei deinde ipſamet eſt faſſa, niſi & in hoc ei fucum fecit. Et cur igitur quod alibi poteſt dæmon, repræſentare innocentes, id in ſolis ſuis conuentibus & ſolennibus ſacris non poſſit?

Dices, Si in conuentibus repræſentare dæmon innocentes permittatur, cedet hoc in damnum tertij, (vt nuper mihi quidam inquiebat) & nimis magna hinc incommoda in Rempubl. redundabunt.

Resp. I. Sit ita: ſed vnde tibi conſtat Deum non permittere ea, quæ cedunt in

in damnum tertij, & ex quibus magna incommoda in Rempubl. redundant? permittit Deus dæmoni vt Sagas transferat, pharmaca iis ad maleficia ſubminiſtret, & ſimilia, quæ nemo aduerſariorum controuertit: nullane ex his incommoda naſcuntur? Quam hoc ridiculum eſt! Niſi igitur aliunde conſtet Deum non permittere innocentium repræſentationes in diabolicis illis ludis, fruſtra id negatur, & ſine iudicio.

Resp. II. Negando quod aſſumitur: nam quod, obſecro, incommodum ex iis repræſentationibus in Rempubl. redundabit? an quod innocentes habebuntur nocentes? torquebuntur? &c. ſed Reſpondeo: habebuntur nocentes, & torquebuntur à Iudicibus prudentibus & cordatis, nego; ab imprudentibus & vecordibus, concedo: Deinde vero aduerſarij male diſcurrunt. Aiunt innocentibus repręſentatis hoc incommodi datum iri, quod habebuntur nocentes & torquebuntur: Pręſupponunt igitur quod taliter repræſentati nocentes habebuntur: cum hoc ipſum ſit in

 quæ-

quæſtione, an taliter repræſentati nocentes habendi ſint? Itaque in circulum argumentantur: Cur viſæ in ſaltu merito nocentes habebuntur? *quia* Deus innocentes ibi repræſentari non permittet: cur autem Deus non permittet? quia incommodum ſequitur; *nam* ibi viſæ nocentes habebuntur. Ecce NB quam parum hodie aduerſarij ad Dialecticam attendunt! A, quia B, & B, quia A. Nemo igitur hunc circulum hactenus deprehendit? Et inuenti adhuc docti viri, etiam religioſi *ſunt*, qui his circulis vtantur; & *Magiſtratus* ac Principes in errores ducant, nec deinde autem aliquando reducant, nec à Superioribus ſuis æque omnium ignaris cohibeantur? Porro quod vult Binsfeldius priuilegium hoc eſſe filiorum Dei, vt tale quid non permittatur, ſupra refutatum eſt Dubio 10. inde repete. Omnino hic inſerēdum eſt, quod nuperrime contigit loco celebri Germa*niæ*, in quo omnia pene in cineres conciderunt. Vocauerat ad menſam ſuam Princeps religioſos duos, viros ſpectatæ virtutis,

tutis, & doctrinæ; inter epulas deinde Princeps ad alterum eorum: Mi Pater, inquit, exiſtimasne ex æquo, & recto geri, cum eos hactenus in neruum abripimus, qui à decem & duodecim Sagis denunciati ſunt in ſaltibus comparuiſſe? vereor non parum ne mille artifex ſuis aſſeclis illudat, & non æque tuta ſit ad veritatem via, quam per haſce denunciationes ſternimus: præſertim cum & viri grauiſſimi, doctiſſimiq; non pauci paſſim incipiant reclamare, & conſcientiam nobis commouere: Dic igitur, quid ſentis? tum ille, vt eſt acer ſubinde & profuſus impetus eorum, qui non vltra pedes quatuor à fornace abſiti philoſophari ſolent: quid malum, inquit; quod nos anxios hic facit, ac conſcientiam conſtringit tot teſtimoniis conuictam? Scrupulus ſit exiſtimare, id vnquam Deum permiſſurum, vt innocentium perſonæ ita traducantur: non eſt quod ad tantum denunciationum numerum Iudex hæſitet, quin tuto progrediatur. Ad quod cum rurſus à Principe replicatum eſſet,

ſet, atque vltro citroq́; multa in vtramuis partem hinc inde mota; videreturq́; religioſus penitus obtinere velle. concludens tandem diſputationem Princeps: Atqui vero, inquit, doleo mi Pater tuam vicem, qui in re capitali tuomet ore te confodiſti, nec habes adeo quod reclames, ſi te quoque in cuſtodiam recludo: quippe quem à ſe in conuentibus ſuis viſum non minus quindecim denunciarunt; neve putes rem ſerio non agi, nihil impedit quin è veſtigio acta afferri iubeam, vt te ipſe tibi legas, tot teſtibus quot nec ipſe poſtulabas conuictum. Obſtupuit vir bonus, & deiecto vultu non habuit quod ſic ſubito opponeret præter confuſionem, & è ſumma facundia ſilentium. Non fabulam narro, res ita geſta eſt vt dixi, locum & perſonas deſignare non eſt neceſſe. Id vnicum mirari ſubit, cum & inquiat Scriptura, & aduerſarij concedant, poſſe dæmonem vt perdat *animas* ſe transformare in Angelum, imo actu ſe transformare dicat Apoſtolus 2. Corinth. 11. cur vt perdat corpus non poſ-

ſet

ſet in hominem innocentem? Nihil igitur & hoc argumentum euincit; examinemus vltimum quod reſtat.

Argvmentvm VII. & vltimum. Hanc ſententiam & veram doctrinam, Inquit Binsfeldius, quod Diabolus non poſſit in conuentu repræſentare innocentem, præterquam quod noſtri malefici teſtimonium perhibent, tenent Doctores; Auctores Mallei, itemq; Iaquerius, Spinæus, Loyerius: ſic ille pag. 360.

Resp. Sententiam noſtram, vbi modo ventilari cœperit, multo plures tenebunt. Et hanc veram potius doctrinam eſſe, ratione malumus quam auctoritate obtinere. Vnde nec argumentum hoc quicquam euincit. Quod autem ab auctoritate Sagarum orditur Binsfeldius, ridiculum nimis eſt: nam ſenſus eſt quaſi dicas: Sententia hæc vera eſt, quia tenent eam diſcipulæ parentis mendacij: pulchra probatio! teſtimonio igitur Sagarum, auctoritatem conciliant ipſæ Sagæ. Ait Chriſtus in Euangelio: Si ego teſtimonium perhibeo

beo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum: ait allatum argumentum: Si Satanas teſtimonium perhibet de ſe ſeipſo, teſtimonium eius eſt verum. Miror ſane vbi ſimus! Quanquam vt ad extremum dicam quod ſentio; plane in ea opinione ſum, vt & ante innui, cum dicunt reæ ſe has & illas in conuentibus vidiſſe, mentiri coactione pœnarum, cum plurimam partem innocentes eſſe putem: Id ſaltem video, neceſſe eſſe vt ſi aliquot ſolum innocentes cum reliquis inuolutæ ſint, mox ingens alia innocentum multitudo ſequatur, dum aliæ alias quas neſciunt vi tormentorum coactæ ſecum accuſando trahunt. Veritatem ſcire non volumus, ſed vt ſimpliciter ſe omnes reas fateantur volumus. Id neceſſario tandem quicquid fiat obtinendum eſt. Itaque nunquam mihi hactenus in mentem venit dubitare quin in mundo *Sagæ* multæ eſſent: nunc cum publica *Iudicia* penitius examino, eo ſenſim me duci video, vt dubitem, an ſint vix vllæ. Certe de tripudiis ſeu conuentibus an vn-

Digitized by Google

vnquam corporaliter fiant, non parum dubitari poteſt. Et vtinam quis excutiat accurate! Nunc hoc quidem commentario excitare doctos placuit, vt quæ ad proceſſus huius criminis ſpectant, paulo altius ventilare incipiant. Cæco impetu & meditatione caſſo multos ferri quotidie experior: ingenia mihi illa placent, quæ non vniuerſa eſſe veriſſima & indubitata exiſtimant, quæ vulgus amplectitur. Sed quicquid ſit, prouideant Principes, ne in re graui & quæ reſtitutionem annexam habet, incauti ſint.

## DVBIVM XLIX.

*Quæ ſint Argumenta eorum qui denunciationibus Sagarum fidem habendam eſſe volunt, & ſufficere aiunt ad denunciatas torquendas?*

MVlta adducuntur, ſed quæ facile corruant, nos ordine ponemus & ſoluemus.

ARGVMENTVM I. Iudex tenetur reum

reum maleficum, ſeu maleficam de aliis interrogare, & reus ſiue rea tenetur de aliis reſpondere; Ergo reo malefico credendum eſt, & eius denunciationi ſtandum. Probatur. Nam ſi fides ei adhibenda non eſt, fruſtra teneretur Iudex rogare, & reus reſpondere. Ita *Binsfeldius* pag. 248.

Resp. I. Nos qui tenemus fidem denunciationibus Sagarum commodandam non eſſe, conſequenter negamus Iudicem teneri ad huiuſmodi denunciationes curandas, & reum *interrogandum*.

Resp. II. Concedamus etiam teneri Iudicem à reo malefico de complicibus interrogare: non inde tamen ſequitur quod illi volunt, mox credendum ſi dicat ſe complicem in conuentibus vidiſſe, aut ſimilia quæ aliter probare non poſſit. Nam ideo tenebitur rogare, quod fieri poſſet, vt non*nulli* alia quædam cum iis circumſtan*tiis* & probationibus additis deponerent, quę omnino arguerent, denunciantes hos & illos, hic & nunc non mentiri, id quod inter-

interdum fieri poſſe quis dubitat? Rogabit igitur Iudex, non id veto; ſed nicæ probationes addantur, quæ omnino arguant denunciantem non fallere, non credet. De conuentibus autem quod ibi viſæ, &c. non credet ob cauſas ſupra memoratas. Atque vt hoc obiter hic inſeram, ſupra docui ex Conſtitutione Carolina, non credi oportere confeſſionibus in tortura factis, niſi ea dicta ſint, quæ *nemo innocens ſcire ac dicere potuerit*: Cur non obſecro inſpiciuntur nunc protocolla, & examinantur an non ea omnia quæ ibi dicta à pleriſq; ſunt, ab innocentibus quoque dici potuerint? Ego enim oſtendam manifeſte, ab innocentibus dici potuiſſe. Et quid ceſſant Principes vt igitur in Iudices illos ſæuire animaduertant morte dignos, qui in re capitali ſic temere crediderunt contra Conſtitutionis Imperialis expreſſiſſimum præſcriptum?

ARGVMENTVM II. Omnium tam Theologorum quam Canoniſtarum & Legiſtarum iudicio receptum eſt, quod de ſe confeſſus ſuper aliorum conſcien-

 tia

tia non debet interrogari, & ſi interrogaretur, non ideo iuxta hoc proceditur, aut ei creditur ſecundum iura: Et hac regula non obſtante eximuntur crimina illa quæ vocantur excepta, in quibus debent de aliis interrogari, & iis credendum eſt. Ergo eorum confeſſio fidem facit, alias nulla eſſet diſtinctio inter crimina excepta & non excepta. Ita Binsfeldius p.252.

Resp. I. Nego aliàs non fore diſtinctionem inter crimina excepta & non excepta. Nam hæc eſt diſtinctio, quod in exceptis non ſit opus per omnia ſeruare communem procedendi modum à iure in aliis præſcriptum. Vt autem complicibus *ex natura ſua mendacibus* non credatur, niſi aliæ circumſtantiæ & probationes conuincant eos non mentiri, non à iure præſcriptum ſolum eſt, ſed à natura, à cuius lege non datur exceptio.

Resp. II. Plura ſunt crimina excepta quam Sagarum, ſit igitur quod in obiectione dicitur, in aliis iſtis exceptis verum: atque ibi ſi ita volunt, credant de-

nun-

Digitized by Google

nunciationibus complicum. In hoc autem ſolo crimine Sagarum non conſentio vt credant, ob ſcilicet particulares illas rationes, quas ſupra dedi, quę in aliis exceptis non ita reperiuntur.

ARGVMENTVM III. Regulæ ſtandum & inhærendum eſt, donec de exceptione & fallentia oſtendatur: ſed leges, quibus vt regulis nitimur, denunciationibus maleficorum ſtandum putant, Ergo. Probatur minor ex L. fin. Cod. de maleficis & mathematicis, quæ vult maleficos debitæ quæſtioni ſubiici ad facinoris ſocios publicandos, ac proinde denũciationibus eorum ſtandum iudicat. Recedere autem à textu iuris, à ratione & communi ſententia, ſummæ temeritatis eſt. Ita Binsfeldius p. 253.

RESP. I. Verum eſt quod regulæ ſtandum ſit, & inhærendum, donec de exceptione & fallentia oſtendatur. Verum etiam quod à textu iuris, & ſententia communi recedere temerarium ſit, ſi ſine ratione fiat. Sed dicimus nos recedere à regula & textu iuris ac communi ſententia, cum bona ratione

& oſtendendo fallentiam. Id quod abunde fecimus ſupra. Repetat Lector.

Resp. II. Duplicis eſſe generis quæ rogari à maleficis circa alios poſſunt.

I. De ſociis, ſi quos habuerint in necandis hominibus, vel animalibus, in inferendis damnis & ſimilibus ſceleribus.

II. De ſociis ſuorum conuentuum, ludorum, qui artem magicam calluerint, & ibi viſi ſint, &c. Dicam igitur iura intelligenda eſſe de quæſtionibus prioris generis, ac nos concedere, ſi quidem ita aduerſarij volunt, fidem eis adhiberi aliquam poſſe in quęſtionibus prioris generis, maxime ſi circumſtantias quoque addant, quæ congruant, & ex quibus ea oriantur de veritate denunciationis indicia, quæ prudenti & cordato viro ſatisfaciant: cum ea ſcilicet iuxta Carolinam dicuntur quæ *nemo innocens ſcire ac dicere potuerit*, vt iam aliquoties monui: Non autem adhibendam eſſe in quæſtionibus poſterioris generis: eo quod in hiſce etſi velint verum dicere, non ſemper poſſint, ob ratio-

Digitized by Google

rationes ſupra allatas ex periculo deluſionum circa conuentus.

Dices, Binsfeldius hanc diſtinctionem plane explodit, tanquam nullo fundamento nixam, & implicantem ignorantiam eorum criminum quæ in conuentibus admittantur: ait enim in conuentibus admitti crimina læſæ Maieſtatis diuinæ, aliaq; ſimilia, omni nece hominum aut animalium ac illatis damnis grauiora. Vnde ſic argumentatur: ſi credendum eſt, & ſtandum denunciationibus Sagarum, cum quæritur de nece hominum & animalium, deq; illatis damnis quæ minora crimina ſunt, multo magis ſtandum denunciationibus erit cum queſtio eſt de conuentibus, quę maiora crimina inuoluunt. Sed

Resp. Binsfeldium hanc diſtinctionem fruſtra reiicere.

Nam I. nititur principiis quæ non tenent. Ponit pro fundamento, quod quo maius ſit crimen de quo quæſtio eſt, eo amplius ſit denunciationi tribuendum, quod fundamentum ratione caret, vti ſupra Dub. 37. rat. 6. oſtendimus, dum

 do-

Digitized by Google

docuimus vim teſtimonij non à re te ſtata, ſed à teſtante pendere.

II. Iam ſupra dedimus rationes ſæpius citatas, cur etſi credi poſſit de ſociis in aliis criminibus, non tamen *in* crimine veneficij, cum dicunt de ſuis conuentibus; eæ rurſum conſiderentur & abunde ſatisfecerimus.

Argumentum IV. Malefici ſunt latrones, & plus quam latrones, ſunt coniurantes cum Dæmonibus, ſunt rei læſæ ſummæ Maieſtatis, ſunt ſacrilegi, ſunt proditores patriæ, ſunt hæretici &c. Sed latronibus, coniuratoribus, reis læſæ Maieſtatis, ſacrilegis, proditoribus patriæ, hæreticis &c. creditur contra ſocios, ergo & maleficis. Idem Binsfeldius p. 254. & ſeq.

Resp. Non eſſe parem rationem maleficorum & aliorum: ſupra enim datæ particulares rationes ſunt, cur etſi aliis credi poſſit, Sagis tamen credi non debeat, nimirum ob ſpecialem *illarum* malitiam, naturam mendacem, ac particularem in illo crimine falſitatis præſumptionem ob varias illuſiones & incerti-

certitudines. Vnde ab aliis ad Sagas argumentari non licet, ac fruſtra hic vehemens eſt Binsfeldius, niſi afferat ſolidiora.

ARGVMENTVM V. Eis qui veritatem loquuntur credendum eſt, alias fides humana periret; ſed communiter accidit, vt ſocij in hoc crimine complices denunciantes veritatem dicant, vt conſtat experientia, & ex proceſſibus contra maleficas, Ergo. Idem Binsfeldius p. 257.

RESP. Concedendo maiorem, negari minorem vt penitus falſam, ac de qua iam hic quæritur ac controuertitur, vt proinde aſſumi non debeat, ſed probari. Quod autem ait eam conſtare experientia & ex proceſſibus contra maleficas, æque nego. Repete quæ dixi Dubio proxime præcedente, Argum. 1. Reſp. 3. & Argum. 4. & concidet hoc quoque Binsfeldij argumentum.

ARGVMENTVM VI. Teſtes qui non debent examinari examinati faciunt aliquam fidem, quia faciunt quale quale indicium, vt Doctores loquuntur, &c,



Digitized by Google

Ergo magis credendum illi teſti, qui debuit examinari quia maiorem fidem facit; Sed maleficus de ſe confeſſus debet examinari de complicibus ex legibus & communi ſententia. Ergo ei magis credendum eſt. Idem Binsfeldius pag. 259.

Resp. Coincidit vis huius argumenti cum primo, ibi igitur ſatisfactum eſt, vt Lector animaduertet: Repetat qui volet.

Argumentum VII. Praxis Eccleſiæ tradit Sagis eſſe habendam fidem, nam omni tempore Iudices ex huiuſmodi denunciationibus inquiſiuerunt contra denunciatos. Idem Binsfeldius p. 259.

Resp. I. Praxis hæc etſi multorum fuit, non tamen omnium. Supra enim oſtendi, ſententiam noſtram non carere auctoritate Doctorum.

Resp. II. Eſto noſtra ſententia à communi reliquorum opinione & praxi plane recederet, non ideo continuo damnanda foret, dum ſolidis rationibus non deſtitueretur: non deſtituitur autem, vt ſupra patuit. Ergo

Resp. III.

Digitized by Google

Resp. III. Praxis Iudicum non continuo vocanda eſt praxis Eccleſiæ. Sonat id, quaſi res fidei agatur: Abſit autem vt omnes eas praxes, quæ communiter in vſu ſunt. Eccleſia approbet, ac ſuas appellari velit, cum multæ careant ratione & malæ ſint. Quam enim longe & late practicata eſt in orbe à Iudicibus probatio illa Sagarum per aquam? an autem & hanc praxin Eccleſiæ vocabimus? Fruſtra igitur ſpecioſo nomine Binsfeldius nos terret.

Argvmentvm VIII. Multæ Sagæ conueniunt in denunciationibus ſuis in eandem perſonam, Ergo ſignum eſt quod non mentiantur, Ergo eis credendum eſt.

Resp. Quod multæ in eandem perſonam conueniunt, mirum non eſt, nec eis fidem ſimul ſumptis conciliat, ſi alioqui ſingulæ non habent. Nam id ex multis cauſis fieri poteſt, vt oſtendam. Vel enim denunciantes vere Sagæ fuerunt, vel fuerunt innocentes, quæ vi tormentorum coactæ, vt iis ſe ſubducerent, alias nominarunt. Vtrum fuerit mirum non eſt, Nam



Digitized by Google

SI VERE Sagæ fuerunt; potuerunt

1. Plures malitioſe in vnam aliquam conſpiraſſe, vt ſi contingeret in manus Magiſtratus deuenire, eam ſecum in exitium traherent, & in iiſdem accuſationis circumſtantiis conuenirent, prout exempla non pauca narrantur, quæ breuitatis cauſa prætereo.

2. Potuit Dæmon, vt ſupra diximus, innocentem repræſentaſſe in conuentibus: vbi cum plures conueniant, vt ipſi aiunt, à pluribus videri potuit, & nominari, cum iiſdem loci, & temporis, ac reliquis circumſtantiis.

3. Potuit Dæmon ſuggeſſiſſe, inſtigaſſe, mandaſſe, vt has illas quas vellet ſingulæ accuſarent, & has illas circumſtantias ſimul adderent.

SI VERE Sagæ non fuerunt, ne tum quidem mirum eſt; quia

1. Vbi multæ torquentur & rogantur, quid procliuius eſt, quam aliquas caſu incidere in eandem perſonam? præſertim ſi paucæ adhuc reſtent in pago perſonæ nondum denunciatę ac exuſtæ.

2. Cum

2. Cum tales neſciant alias, ſolent erumq; eas nominare de quibus iam ite eſt communis rumor, vel quæ eo omine incarceratæ ſemel fuere, vel xuſtæ.

3. Fit iam plerumque, vt videmus in- ies, & bene notauit Tannerus, Offi- iales Iuſtitiæ non ſeruare ſecretum, c ſpargere in vulgus, ſi quæ nomina- æ ſunt. Vt igitur quæ deinde torquen- ur pœnis ſe liberent, eaſdem nomi- ıant.

Atque hic certò nullo modo excuſa- ri Magiſtratus in conſcientia poterunt quod id non emendent. Iam vbi verſor tota pene vrbe notæ ſunt non paucæ nuper à diuerſis denunciatæ. Hæ igitur nunc quidem differuntur dum fama creſcat, poſt annum autem ex hac fama procedetur. O tempora! hic Germaniæ eſt zelus.

4. Sed & maleuoli quidam, vt ſupra docui, nominatim de quibuſdam in tor tura interrogant; quid mirum igitur, ſi eas ſic in os ſibi inditas plures accuſent? Repete quæ ſupra dixi.

Ar-

ARGVMENTVM IX. Patet ex proceſſibus criminalibus quod plerumque omnes illæ quæ ab aliis denunciatæ ſunt, vere Sagæ fuerint, cum id deinde ipſæmet in tortura faſſæ ſint, vnde ſequitur denunciantes verum dixiſſe, atque igitur denunciationibus fidem detrahendam non eſſe.

RESP. Quod denunciatæ pleræque vere Sagæ fuerint, non ſatis ex ſecuta earum confeſſione conuincitur. Quam enim parum tuta ſit fides à tortura quęſita, abunde liquet, & ex ſupra à nobis allatis manifeſtum eſt. Stulta autem eſt, vt dixi, quæcunque delata ream ſe non fateatur, cogetur enim tot tormentis vt tandem ſuccumbat, & ſi non ſuccumbat comburetur viua vt obſtinata. Repete quæ hinc inde ſupra dicta ſunt. Neſciunt ſane omnes ij quid virium in tormentis inſit, qui vel commentari lucubrationes ſuas in quiete atque otio ſolent, vel immiti animo ac feroce quis pœnarum ſit ſenſus experti vnquam non ſunt. Quos ego non ex vlla maleuola voluntate, ſed affectu optimo & Chri-

Digitized by Google

Chriſtiano, ad maius ipſorum bonum, & maiorem conſcientiæ cautelam precarer, vt vel ad dimidium quadrantem equulei aliquem guſtum ſumere, & velut prius ipſi prælibare velle in animum Inducerent, quam accederent ad odioſas has reorum cauſas in equuleo tractandas. Neque enim tam durus eſſe velim, vt is neſcio qui Princeps fuiſſe dicitur, qui quos cauſis criminalibus iudicandis admouere voluiſſet, eos quantumuis reluctantes in neruum prius per horam dimidiam coniici iubebat, ne non plane dolorum rudes eorum vim exactius perſpectam haberent: quo id conſequi ſe poſſe exiſtimabat, vt vnius hominis non longiſſimo tormento multorum aliorum non modo tormenta, ſed & neces redimeret: Ideoq; ſe id ſalua conſcientia in vtilitatem Reipublicæ facere poſſe, alterumq; ob eandem cauſam ſuſtinere id debere, omnino ſibi perſuadebat.

Iudicium meum non interpono, faxit Deus vt eum oẽs amemus & ſic tranſeamus per hęc temporalia, vt non amittamus æterna.

Di-

Digitized by Google

Dices, At denunciatæ non ſolum fatentur ſe reas, ſed etiam eaſdem circumſtantias & puncta, quæ denunciantes de ipſis depoſuerant. Signum igitur &c.

Resp. Id vel falſum eſt, vel contingit vt ſupra docui Dub. 28. Arg. 4. vnde repete, & aduertes friuola hęc plane argumenta eſſe.

Argumentum X. Ne quid diſſimulem eorum quæ reperio, adiungo his Binsfeldij argumentis aliud Profeſſoris Rinthelenſis D. Gôehauſij, quem & ſupra citaui. Is igitur ſic argumentatur, his verbis:

*Conſtat*, inquit, *ſummo labore Sagas adigi ad has denunciationes, Dæmone eas prohibente, ne regnum eius ſupplicio affectis ſubditis diminuatur, ac eiuſmodi exemplis cæteri ab hoc crimine abſterreantur.*

*Ergo tanto certius exiſtimandum, denunciationes illas eſſe veras, quas ſcimus Dæmone inuitiſſimo fuiſſe extortas, & ideo Sagas ſolum defunctas quaſdam perſonas nominant.* Sic ille p. 152.

Resp. Argumentum hoc nimium pro-

probat, & ſic nihil: quod nimium, oſtendam: quia probat quoque, & quidem potius; idipſum quod nos volumus, quam quod ille. Sic enim ex ipſius verbis hæc formo enthymemata:

I. Dæmon inuitiſſimus eſt, vt eius aſſeclæ ſuas veras complices prodant; non autem inuitus eſt aut eſſe poteſt, ſed volentiſſimus, vt nominent & necent innocentes. Exiſtimandum igitur, nominare potius innocentes volentiſſimo ſuo domino, quam inuitiſſimo nocentes.

II. Dæmon prohibet, imo, vt dixerat alibi idem Auctor, adigit iuramento in conuentibus, ne nominent ſe inuicem; ne innocentes autem nominent, nec prohibet is vnquam, nec iuramento cauet. Et cur eas igitur quas vetat nominabunt potius ſubiectiſſimæ ſeruæ, quam quas non vetat?

III. Si nominent veras complices, minuetur dæmonis regnum. Si nominent alias, non minuetur. Et cur illas igitur potius, quam has nominare

vo-

Digitized by Google

volent? O fidas aſſeclas vnius regni ſi ſi
inter ſe diuiſæ ſunt!

IV. Si nominent ſe inuicem, abſterrebuntur Sagæ ſuperſtites viſis ſuorum ſuppliciis, ſin alias, non abſterrebuntur ſane, ſed magis animabuntur, dum non in ſuum gregem, ſed in hoſtilem graſſari vindictam vident. Et cur igitur potius alienas quam ſuas accuſent? nimium igitur hoc argumentum probabat, quia in rem noſtram. Interim ne diſſimulem, ſed iuuem potius contra me, idem argumentum ſic vrgeri *poterit*: Nam

Dices, Imo peruertitur vis argumenti: ea enim longe alia erat, nimirum hæc, quam vel ex ipſa reſponſione data ſic exacuo: Sagæ ſi nominent innocentes, tum & facient quod optat Dæmon, & non minuent ſuum regnum, & animabunt cæteras Sagas, & à tormentis ſe excipient. Sane *igitur* ad nominandum innocentes, promptæ, volentes, & expeditæ erunt; ſed non ſunt autem ad nominandas eas quas nominant promptæ, volentes, &
expe-

expeditæ, ſed magno labore & vi tormentorum ad id cogi debent, non igitur eæ quas nominant ſunt innocentes ſed nocentes. Breuius ſic: Si Sagæ nominarent innocentes, eſſent ad nominandum promptæ; non ſunt autem ad nominandum promptæ; non igitur nominant innocentes; qui eſt ſyllogiſmus formalis, in ſecunda figura hypotheticorum.

Resp. I. Circa ſyllogiſmi huius maiorem. Erunt enim Sagæ promptæ ad nominandum innocentes, nec vi tormentorum coactæ eos nominabunt, ſi quidem id poſſit fieri, & quantum in ipſis eſt, alioqui non. Atqui vero non poteſt fieri, vt vnquam prompte nominent, ſed omnis earum nominatio neceſſario debet eſſe coacta, ac non niſi tormentis expreſſa, ac proinde tam nominatio innocentum quam nocentum ſemper eſt coacta atque vtrinque paritas. Mordicus enim volunt Iuriſperiti criminales, vt ſi quæ de ſe crimen confeſſa deinde etiam complices velit nominare nondum tormentis coacta, ea

nominatio non audiatur, ſed velit nolit eam torquent, vt ſic confeſſio complicum exprimatur per nouam ac ſingularem torturam ad id vnum deſtinatam, quæ ſimul infamiam expurget, vt aiunt, ac nos ſupra meminimus Dubio 44. rat. 5. Vnde fruſtra Iuriſperiti iam dictum argumentum vſurpabunt: ſed & lepide ſane agunt; ipſi enim faciunt vt omnis omnino nominatio complicum vi tormentorum fiat, & ſic coacta fiat; ac deinde nihilominus quod prompta non ſit, ſed coacta, ex eo argumentum ducunt. Non capio hunc ratiocinandi modum: Conſideret Lector; & vbi intellexerit quid velim, mirabitur.

Resp. II. Circa ſyllogiſmi minorem. Nam eæ quæ alias nominare debent, vel veræ & reales Sagæ ſunt, vel non veræ, ſed nominales tantum, vt ſic loquar, quæ ſcilicet vi tormentorum coactæ, ſuſcepêre in ſe crimen quo vacabant. Si veræ Sagæ ſunt, nego minorem. Nominabunt enim innocentes prompte, volentes, expedite, ob rationes ante datas; Quod ſi autem nunc paſ-

paſſim quæ nominare debent, non niſi mágno labore & vi tormentorum ad id cogi debent, iam exinde arguam potius, eas igitur veras Sagas non eſſe, ſed nominales. Argumentum enim allatum omnino in aduerſarium retorquebo in hunc modum:

Veræ Sagæ ſi nominare debeant, erunt promptæ ad nominandum ſaltem innocentes, vt aduerſarius concedit; ſed nunc paſſim eæ quæ nominant, non ſunt promptę ad nominandum etiam vllas, vt idem concedet, Ergo quæ nunc paſſim nominant, non ſunt veræ Sagæ. Syllogiſmus formaliſſimus eſt.

Ex quo ſane ſequitur ſolutio ad id, quod ſupra in allato argumento dicebatur: *& ideo Sagæ ſolùm defunctas quaſdam perſonas nominant.*

Attendant enim Principes quod dicam in re graui. Nam ſic res habet:

Iudices plerique imperiti & incurij, multi etiam auari & malitioſi ex futilibus indiciis capiunt & torquent: vis tormentorum parit Sagas quæ non ſunt: quia tamen eſſe debent; debent &

edicere magiſtras ſuas, & diſcipulas & ſocias quas non habent. Id quia conſcientiam exagitat, renituntur dum tormentis aut metu tormentorum adigantur: tum denique pœnis impares eas nominant, quibus & faciant ſuis dictis fidem, & quam minime poſſunt, noceant: nominant inquam eas, quæ iam vita functæ ſunt, & pro Sagis exuſtæ. Si vlterius vrgentur, nominant quoque viuas, atque eas quidem primo, quas iam ante audiunt diffamatas, aut ab aliis quoque denunciatas, aut hoc nomine aliquando captas, &c. Id enim ita paſſim fieri, ſi ſciens fallo,

*Tum Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras:*

Scio autem quid loquar, atque vnde ſciam in vltimo illo viuorum mortuorumq; iudicio oſtendam Magiſtratibus iis, quos hæc ſcire oportebat, quosq; merito in illum diem tot innocentes ad tribunal citant, & ego cito.

Argvmentvm XI. Niſi denunciationibus credatur, aliud non ſuppeteret medium ad Sagas deprehendendas & extir-

extirpandas, vnde Reſpublica à maleuolis non purgabitur; eſt igitur denunciationibus credendum. Argumentum hoc Iudicum eſt, & omnium eorum hodie, apud quoſcunque denunciationes vt fallaces reiiciendas eſſe dico. Vehementer autem vrgent Binsfeldius, & viri alias eruditi; quod ſoleo mirari. Itaq; oſtendam quam parum conſiderent quid obiiciant. Nam

Resp. I. Nego, non ſuppetituros alios modos ad reas deprehendendas: ſunt alia indicia quæ ſufficiant, vt ad inquiſitionem & torturam procedatur. Enumerat nonnulla Tannerus & Delrius, quæ me piget exſcribere. Legant quorum intereſt.

Dices, Etſi ſubinde indicia ſe prodant, quibus communes Sagæ deprehendantur, non tamen quibus ſagarum principes & magiſtri: Ita Binsfeldius: *Nam quando*, inquit, *principes huius ſceleris viſi fuerunt, aut ſcopas erigere ad cauſandum pluuiam, aut illam ſupponere veſtibulo alicuius ſtabuli, & lites & minas intentaſſe plebeis, aut alia opera externa exercuiſ-*



Digitized by Google

*ſe, quæ indiciorum vices ſubeant ad probandum? Hæc enim ſunt facta vulgarium & vilium perſonarum, quæ rus incolunt, & ruri verſantur inter plebeios. Ibi quandoque hæc & ſimilia perſpiciuntur indicia.* Sic ille.

Vnde probat & vehementer vrget, vt denunciationibus ſit locus, ſine quibus nulla alia ſuppetat via, ad Sagarum ſaltem principes in apertum trahendas, Itaque

Resp. II. Eſto etiam verum ſit nullam ſupereſſe viam ad Sagas earumq; principes detegendas. Quid tum poſtea? an ideo via vtar inepta & periculoſa, qualem eſſe eam ſupra oſtendi, quæ per denominationes procedit? Facio dilemma; Vel habent aduerſarij certas & bonas vias detegendi Sagas, vel non habent; ſi habent, age iis vtantur; ſi non habent, abſtineant & non detegant, quos detegere non poſſunt; quis illos cogit eradicare zizania quæ non norunt? quid ſe fruſtra vexant, & affligunt, nec acquieſcunt Euangelico præcepto, vt ſinant vtraque creſcere vſque ad meſſem? Hæc ſcilicet non

præ-

præuidebat cœleſtis Paterfamilias, cum id in mandatis daret? aut nos prudentiores Filio Dei ſumus?

Resp. III. Miror autem, quæ hæc tandem probatio ſit: Alia via non eſt Sagas detegendi, ergo hæc per denunciationes bona eſt, perinde quaſi Sacerdos celebrare volens, cum vinum non inuenit, ſed acetum, ita colligat: Non alia hic eſt materia conſecrandi, hæc igitur eſt bona.

Dices, Hoc eſt Sagis patrocinari. Sed

Resp. Vox eſt quam nunc primum non audio, non primum etiam contemno. Rationibus agere ſoleo, non cauillis. Pulchre tamen reſpondet Tannerus, cum ſic ait: *Non hoc eſt Sagarum, ſed potius innocentum aduerſus Sagas illis malitioſe inſidiantes patrocinium ſumere: ne ſicut extra iudicium etiam cum amiſſionis vitæ & bonorum ſuorum periculo, ita in iudicio hoc & periculo & metu ſolutæ in eorundem vitam, famam & fortunas eo nocentius quo liberius graſſentur.* Sic ille.

Resp. IV. Imo quid pugno? Sit verum

rum quod argumentum allatum proponebat, niſi denunciationibus credatur, aliud non ſuppetere medium, ad Sagas deprehendendas & extirpandas. Concedam hoc aduerſariis, ſi ita: veriſſimum enim eſt; ſed ecce pro me hoc facit, & confirmat in opinione quam concepi de paucitate Sagarum; nam ſic mecum hæc ſequentia puncta meditari ſoleo.

I. Clamant omnes, omnia eſſe Sagis plena: quæro ego vnde ſciant? vnde Sagas deprehenderint? non alia eſt aiunt deprehendendi via, niſi denunciationibus credatur. Atqui has ego fallaciſſimas eſſe paulo prius oſtendi: Omnia igitur Sagis plena ſunt, quia fallaciſſimo noſcendi medio vſi ſunt; niſi id vſurpent, aliud habere negant. Quid hic dicam?

II. Omnia eſſe Sagis plena, tam certum eſt, tam indubitatum, vt qui hæſitet, in inuidiam vocetur, explodatur, audiri non debeat, dicam breuiter, certiſſimum eſt: quæro ego vnde hæc tanta certitudo nata eſt? aiunt illi, ex teſtimo-

moniis Sagarum; ex auctoritate Dæmonis. Præclare! Hæc igitur cum certiſſimam pariat notionem, infallibilis credo erit? Nam ex auctoritate fallibili nunquam ducitur cognitio certiſſima, vt omnes Theologi, & Dialectici, atque ipſum lumen rationis nos docet.

III. Quid pugnant inter ſe aduerſarij? clamant quidam ſe vrgentiſſima habere indicia multa & magna quod Titia V. G. Saga ſit: Nunc Binsfeldius & alij clamant non haberi alia niſi denunciationes, ſi his non crederent, progredi non poſſent.

IV. Audio nuper dixiſſe quoſdam Inquiſitores communem ſe praxin ſequi; errare ſe non poſſe. Alij ſi non verbis at factis tamen idem dicunt; nam ſic liberi ſunt quaſi impeccabiles ſint: Vulgus quoque exiſtimat iudicia omnia criminalia neſcio quid ſacrum & ſanctum habere; vt, quæ ibi iudicata ſint, infallibiliter hoc ipſo iuſte facta ſint. Obſecro vnde omnia hæc? Quia fundant ſe Iudices in teſtimoniis ſatanicis: niſi id haberent,

 pro-

Digitized by Google

progredi non poſſent, inquit Binsfeldius.

V. Ego vero exiſtimo hanc inſignem eſſe calumniam, & nihil ignominioſius Germanico nomini aſpergi poſſe, quam dicere Magiſtratus noſtros & hactenus acerrime progreſſos eſſe, & tamen progredi non potuiſſe, niſi deniq; teſtimoniis ſatanicis ſubnixos. Conſideret hoc lector.

VI. Multo fœdius erit, ſi eadem teſtimonia tantum apud Germanos valere auditum fuerit, vt etiam in perſonas Eccleſiaſticas ſummo cum Catholicæ religionis inter hæreticos deſpectu recipiantur. Et tamen recepta ſunt etiam ſub Principibus Eccleſiaſticis.

NB VII. Dubitare hic mihi incidit, an caſu quo Catholicus Sacerdos ex his teſtimoniis magiæ poſtulatus, bis, ter, quater acerbiſſimis tormentis ſe purgaſſet, nihilominus viuus igni adiudicari poſſet, & bona phraſi obſtinatus & impœnitens dici, quod ſe tantis teſtimoniis opponeret? Et quid ſi ipſo mortis die à Confeſſario ſuo vere pœnitens iudi-

Iudicatus, coram venerabili Altaris Sacramento magna cum cærimonia innocentiam ſuam conteſtaretur? Quid ſi ad præſentem, & venturum olim Iudicem ex eius verbo ſeu Euangelio appellaret? quid ſi teſtem eum inuocaret, quod ne ſacerdotali nomini inureretur nota, intolerabiles alioqui torturas eas hactenus exhauſiſſet? Quid ſi ad bancum iuris auditurus ſententiam, eandem repeteret proteſtationem, ac vehementius hortaretur Iudices, ne in Dei Sacerdotem cum inſigni religionis deſpectu procederent, qui nec conuictus eſſet, nec confeſſus crimen? Quid ſi eadem repeteret coram populo in ſupplicij loco, eo cum ſenſu pietatis & energia ſermonis, animorumq; commotione, quam communes omnium gemitus, & lachrymæ ſequerentur, etiam qui intereſſent hæreticorum? an adhuc teſtimonia tam grandia, per has omnes procellas teneret curſum ſuum, & valorem? Et quid ſi dum magiam pernegauit, vi tamen tormentorum alia eſſet ſcelera confeſſus; an ob ea tunc ſal-

ſaltem, cum nec accuſatus ante fuiſſet, nec proinde legitime rogatus, aut confeſſus, damnari poſſet? Certe ea tempora poſſent incidere, vt in omnem euentum, quid tali caſu ſentiendum eſſet, ſcire expediret. Sed de hoc fortaſſe alias.

Nunc id manet, ridiculum mihi videri, quod tam multas nobis Sagas in Germania imaginamur, ſi ita procedamus: præſertim cum multi quoque Iudices ex multiplicatis Sagarum denunciationibus, non ſolum ad capiendum & torquendum, ſed etiam ad condemnandum procucurrerint, ſecuti nimirum auctores à Delrio citatos, qui multas huiuſmodi denunciationes plenas eſſe probationes tenuerunt. Quinimo & audio inuentos eſſe, qui ex teſtimoniis Energumenorum ad capturam & torturam iri voluerint.

Et quæ iam denique teſtimonia excluſuri ſumus? quo deueniemus? *non hæc manifeſta noſtra punitio eſt?* Et quid dicam de teſtimoniis puerorum mendiculorum, qui ſeu à maleuolis

con-

conducti, ſeu vt facile eſt illi ætati illudere, ita arte quadam examinandi & captioſis interrogatiunculis circumuenti, ſeu etiam ſponte eſca & potione illecti ſe ſeductos eſſe annuunt, & vt mira rogantur, mira narrant, quæ in conuentibus viderint, quæ acta ſint, qui interfuerint, & ſimilia, quorum deinde à viris ſpiritualibus & intelligentioribus rogati, non meminerunt, & omnia alia retexunt.

Itaque cum & capra nuper, quod ridiculi cauſa interpono, amiſſa eſſet, (nam miles abduxerat) ea quoque in conuentu Sagarum ab his & iſtis iam plexis neſcio an plectendis abſumpta erat. Plurima talia ſunt, quæ, quod ad finem propero, omitto. Alias fortaſſe iſta colligemus. Id ſciat Magiſtratus mirifice ſibi & dolendum in modum ab Officialibus illudi.

Dv-

# DVBIVM L.

*An Iudex alterutram ſententiam ſecurè amplecti poſſit ſeu noſtram quæ contemnit, ſeu aliorum quæ magnifacit denunciationes?*

RESPONDEO, Non poteſt ſecure amplecti ſententiam aduerſariorum. Rationes iſtæ ſunt:

RATIO I. Tutior via in dubiis eligenda eſt. Quæ regula etſi in cæteris conſilij rationem habet, tum tamen præcepti vim obtinet, cum periculum eſt, ne alioqui proximo fiat iniuria, vt docent Caſiſtæ, & ſupra quoque dixi Dub. 8. ſub finem.

RATIO II. Oſtendi bonis argumentis aduerſariorum ſententiam ſolide non ſubſiſtere: vel igitur Iudex melius eam fundet, aliis adductis argumentis, & noſtra refutet, vel tenebitur nos ſequi.

RATIO III. Iura volunt vt in dubiis reo potius quam actori faueatur iuxta reg. 11. iur. in 6.

RA-

Ratio IV. Iudex ſequi debet ſecuriorem interpretationem iuxta cap. ad audientiam, & c. ſignificaſti 2. de Homicidio.

Dices I. At clamat Binsfeldius Remp. hoc modo purgatum non iri.

Resp. Id fruſtra clamat, facile enim ex hactenus dictis colliges, ſi denunciationibus tantum deferatur, contrarium futurum, & potius triticum quam zizania periclitaturum: Nam hoc ſcilicet purgare Rempub. eſt ita periculoſis viis ad exſcindendos nocentes incedere, vt vix innocentiſſimus quiſque iam tutus ſit?

Clamant Inquiſitores omnes, magiæ crimen occultiſſimum eſſe; Obſecro autem quomodo occultiſſimum eſt, ſi tam facile deprehenditur, vt nullum iam ſit in orbe crimen cuius tot rei in lucem protracti ſint, & indies protrahantur, vt iſti putant?

Dices II. Sententia quidem hæc mitior eſt reſpectu nominati, ſed altera vtilior reſpectu Reipublicæ & boni publici: Siquidem ita iudicia promo-

mouentur & facilitatur via executionis. Sic Profeſſor Rinthelenſis D. Gôehauſius ſupra citatus in libro de Proceſſibus contra Sagas, pagina 151. Sed

RESP. Inprimis ſententia hæc noſtra & mitior & vtilior eſt, tum reſpectu nominati, tum nominantis, tum Reipublicæ. Nam nominatum è diſcrimine eripit, nominantis malitiæ & nocendi ſtudio occurrit, Reipublicæ vaſtationem impedit, dum paucos nocentes tolerat, ne plurimos innocentes pereundi periculo exponat. Deinde ratio in obiectione allata pro altera ſententia, quia ſic promoueantur iudicia, &c. non probat vtiliorem eam Reipubl. eſſe, ſed è contrario damnoſam. Nam promoueri iudicia, & facilitari executiones tam graues ex indiciis leuiſſimis, id eſt, teſtimoniis fallaciſſimis, innixis veracitati mendacium Sagarum, tam *noxium* Reipubl. eſt, quam illa grauia ſunt mala, quæ ex temere tractatis his cauſis poſſunt conſequi, ac dixi ſupra Dub. 8. rat. 3.

DI-

Dices III. Iudex nocet bonis quiſquis pepercerit malis. Crudeles illi qui vt vni parcant, multos necari permittunt,&c. ſic idem Rinthelenſis pag.153. Sed

Resp. Ita eſt,ſed ad rem non ſpectat. Nam inprimis, qui non niſi ex fallaciſſimis denunciationibus malorum vult malos noſſe, is potius parcet malis, exſcindet bonos; ac ſic dupliciter nocebit bonis. Deinde crudeles ſunt, qui vt vnum perimant malum, non curant ſi & ſimul plures bonos. Denique non vnus eſt cui parcetur, cum denunciatis parcetur; nam parcetur multis, & parcetur merito; quippe adhuc nondum ſat ſuſpectis quod nocentes ſint. Si tu autem nocentes & malos ponis; quibus parci non debeat, iam idipſum ponis, quod an poni debeat in quæſtione eſt. Id enim eſt quod quærebamus, an nocens & malus haberi debeat, quem mendax fœmina nocentem & malum dicit. Binsfeldius igitur cum pag. 292. vehementius Magiſtratum increpat, & iuſtitiam vrget, nec aliam tamen

viam procedendi eſſe ait, niſi per has Satanicas denunciationes, parum diſcrete zelat.

## Dvbivm LI.

### *Quæ breuis ſit ſumma & methodus proceſſuum contra Sagas hodie apud multos in vſu, digna quam Diuus Cæſar intelligat, & Germania conſideret?*

Respondeo, Poterat hanc ſummam lector quiuis ex tractatu hoc ipſe apud ſe colligere: ſed quod mihi id fuit factu facilius, eam hic apponam, omiſſis tamen multis quæ commode inſeri non poterant: de quibus conſulantur hactenus dicta, vti & de his quæ hic poſita ſunt, ſi diductius lubet ſingula cognoſcere. Itaque ſumma hæc eſt:

1. Incredibilis vulgi apud Germanos, & maxime (quod pudet dicere) Catholicos ſuperſtitio, inuidia, calumniæ, detractiones, ſuſurrationes & ſimilia, quæ nec Magiſtratus punit, nec

nec concionatores arguunt, ſuſpicionem magiæ primum excitant. Omnes diuinæ punitiones, quas in ſacris literis Deus minatus eſt, à Sagis ſunt. Nihil iam amplius Deus facit aut natura, ſed Sagæ omnia.

2. Vnde impetu omnes clamant vt igitur inquirat Magiſtratus in Sagas, quas non niſi ipſi ſuis linguis tot fecerunt.

3. Mandant ergo Principes ſuis Iudicibus & Conſiliariis, vt incipiant in Sagas procedere.

4. Neſciunt hi primum vnde ordiantur, cum indicia ſeu probationes non habeant: nec temere tamen hic quicquam moliendum eſſe à conſcientia ſua ſatis audiant.

5. Monentur interim bis terve vt procedant. Clamat vulgus moram hanc non carere ſuſpicione. Et pene idem ſibi, à neſcio quibus informati, Principes perſuadent.

6. Hos autem offendere & non ſubito obſequi, in Germania graue eſt: plerique omnes, etiam viri ſpirituales ni-



Digitized by Google

mium pene probant, quæcunque modo Principibus placuerunt: nec aduertunt à quibus hi ſæpe inſtigentur quantumuis optimi natura ſua ſint.

7. Tandem igitur voluntati eorum Iudices cedunt, atque aliqua demum via proceſſibus initium inueniunt.

8. Aut ſi illi adhuc hærent, & horrent tangere rem periculoſam, mittitur Inquiſitor ad id ſingulariter deputatus: qui ſi quid ſecum trahat imperitiæ & impetus, vt fieri in humanis rebus ſolet, id in hac materia colorem ac nomen mutat, & non niſi mera iuſtitia ac zelus eſt; quem vtique ſpes lucri non imminuit, præſertim in homine tenuiore & auido habendi cum familia plena prolibus eſt, & in ſingula reorum vrendorum capita aliquot dalerorum ſtipendium conſtitutum eſt, præter accidentarias collectas & contributiones, quas liberrime à paganis exigere Inquiſitoribus permiſſum eſt, vt ſupra.

9. Tum ſi dictum aliquod Energumeni aut ſi malignus & ſpurius horum tem-

temporum rumor (non enim vnquam probata fama) in pauperculam aliquam & vilem Gaiam grauis incubuit; ea prima eſt.

10. Ac ne tamen ex ſolo hoc rumore ſine aliis indiciis, vt vocant, proceſſum eſſe videatur; ecce ſubito in promptu eſt indicium aliquod per hoc dilemma: Vel enim Gaia ea malæ & improbæ vitæ fuit, vel bonæ ac probæ. Si malæ; indicium id, aiunt, magnum eſt: nam à malitia ad malitiam prona præſumptio eſt. Si autem bonæ; & hoc quoque indicium non minus eſt: nam ſic, aiunt, tegere ſe Sagæ ſolent, & vel maxime videri probæ velle.

11. Rapi igitur Gaia in carcerem iubetur: & ecce nouum iterum indicium per hoc dilemma: Vel enim timere ſe tunc oſtendit, vel non oſtendit. Si oſtendit (quippe cum audierit quam grauibus tormentis in hac materia vti ſoleant) iam hoc indicium eſt: nam conſcientia accuſat, aiunt. Si non oſtendit (quippe cum innocentiæ confidat) iam id quoq; indicium eſt: nam hoc deniq;

propriiſſimum eſſe Sagis aiunt innocentiſſimas iactare ſe, frontemq́; porrigere.

12. Ne non vero adhuc plura in eam indicia ſuppetant, habet Inquiſitor homines ſuos, ſæpe improbos & infames, qui in omnem retro vitam inquirant, in qua ſane fieri non poteſt quin occurrat quippiam ſeu dictum ſiue factum, quod abiecta in malum hominum interpretatio in magiæ culpam facile detorqueat & obuertat.

13. Sed & ſi qui tum ei male hactenus voluerunt, pulcherrimam nocendi opportunitatem nacti, afferunt quod quale lubet, facile reperiunt: clamaturq́; paſſim, grauari eam magnis indiciis.

14. Atque ideo quamprimum ad quæſtiones abripitur, niſi eadem adhuc die qua capta eſt, iam tum abrepta ſit: vt ſæpe contingit.

15. Neque enim aduocatus & integerrima ſui defenſio quibuſuis conceditur, cum clament Exceptum crimen eſſe, cumq́; qui defendere & aduoca-

uocare velit , in ſuſpicionem criminis vocetur : vti & omnes illi qui in his cauſis quicquam loqui velint & Iudices monere vt cauti ſint: nam mox nominant Sagarum patronos : Sic omnibus occluſa ora ſunt & obtuſi calami , ne loquantur aut ſcribant.

16. Plerumque tamen, ne non aliquis ſaltem defenſioni locus Gaiæ datus videatur : ſiſtitur primum in ſpeciem ac indicia ëi primum prælegun- tur &examinantur,ſi tamen examinantur.

17. Quæ etſi tunc illa purgat, & ad ſingula accurate ſatisfacit , id non attenditur nec notatur , vim ſuam & valorem omnia retinent quantumuis optima reſponſione detrahatur: iubetur tantum reduci in vincula , vt conſideret attentius an obſtinata velit perſiſtere: iam tum enim quia purgat ſeſe, obſtinata eſt. Imo ſi ſe purgat accurate, nouum id indicium eſt; quippe quæ inquiunt ni Saga eſſet, tam eloquens non eſſet.



Digitized by Google

18. Vbi conſiderauit: rurſum alio die ſiſtitur, & prælegitur ei decretum torturæ: quaſi nihil iam ante ad obiecta reſponderit, nec quicquam eliſerit.

19. Prius tamen quam torqueatur, ſeducitur à lictore, & ne contra dolorem muniat ſe magicis quiſquiliis, quæ quæruntur toto corpore detonſo, atque etiam ea parte qua ſexum monſtrat petulanter excuſſa; licet nihil tale hactenus vnquam reperiant.

20. Quidni vero mulieri id fiat? cum & conſecratis quoque Sacerdotibus? idq; etiam ab Inquiſitoribus & Officialibus Eccleſiaſticis Principum Eccleſiaſticorum: neque enim non bruta fulmina apud Iudices Germanos habentur, quæ in Bulla Cœnæ eos petunt, qui ſine ſpeciali & ſpecifica Apoſtolicæ ſedis licentia in Clericos procedunt. Quod ne Principes ipſi pientiſſimi atque in Romanam ſedem obſeruantiſſimi intelligant, ac proinde frænum proceſſibus adducant, Inquiſitores cauent.

21. Tum

21. Tum vbi ſic excuſſa & detonſa Gaia eſt, torquetur vt veritatem ediſſerat, id eſt, vt ſeſe ſimpliciter ream pronunciet: quicquid aliud dictura eſt, veritas non erit, nec eſſe poteſt.

22. Torquetur tamen tortura primi generis, id eſt, leuiore: quod ita intellige, vt licet grauiſſima quidem ea ſit, tamen reſpectu aliarum ſequentium lenior ſit. Vnde ſi fatetur, aiunt & ſpargunt faſſam eſſe ſine tortura.

23. Quis autem Principum aliorumq; qui hæc audit, non exiſtimet certiſſimo nocentem eſſe quæ ſic vltro ſine tortura ſe ream faſſa ſit?

24. Sine ſcrupulo igitur vllo poſt hanc confeſſionem plectitur: plectenda interim nihilominus, etſi confeſſa non eſſet: nam vbi modo torturæ datum initium eſt, iam iacta alea eſt, euadere non poteſt, mori debet.

25. Itaque vt fatetur, vel non fatetur: æque quicquid fiat actum eſt. Si fatetur, res clara eſt, nam, vt dixi & liquet, plectitur: Reuocatio omnis fruſtra eſt, vt ſupra oſtendimus. Si non

fatetur, repetitur tortura bis, ter, quater: licent omnia quæ hic lubet: neque enim temporis, nec acerbitatis, nec repetitionis pœnarum in excepto crimine eſt ratio: nihil hic peccare ſe putant Iudices quod in conſcientiæ forum adducendum ſit.

26. Tum ſi Gaia in tormentis vel voluit oculos præ dolore, vel figit; noua hæc indicia ſunt. Si voluit, cur, inquiunt, vt concubinum ſuum quærit? Si figit autem, En, inquiunt, iam eum reperit, iam videt. Quod ſi vero aliquoties torta nondum ſilentium abrumpit; ſi vultu connititur aduerſus pęnas, ſi patitur deliquium &c. clamant eam ridere & dormire in tormentis, vti maleficio taciturnitatis, ac tanto iam nocentiorem eſſe; quam proinde vel viuam vri deceat: quod & nuper nonnullis factum, quæ fateri aliquoties tortæ noluiſſent.

27. Atque id tunc vocant etiam Confeſſarij, etiam religioſi, obſtinatam & impœnitentem deceſſiſſe; noluiſſe conuerti, nec deſerere concubi-

cubinum ſuum;ſed ſeruare ei fidem voluiſſe.

28. Quod ſi autem contingat quampiam ex tot tormentis animam deponere, aiunt ei à Dæmone eliſam ceruicem eſſe : atque id probant argumento quodam inuincibili, quo ſi vti velis, neminem non omnium hominum ſic à Dæmone elidi conficies, vt ſupra.

29. Quare merito, ſcilicet, cadauer à lictore educitur, & humatur ſub furca.

30. Quod ſi autem necGaia moritur, nec ſcrupuloſi quidam vlterius torquere audent ſine nouisindiciis,nec inconfeſſam exurere,retinetur in carcere, atque arctioribus vinculis accipitur, ibi vel ad annum integrum maceranda dum ſubigatur.

31. Neque enim per torturas purgare ſe vnquam poteſt, & aſperſum ſemel crimen abluere, vt volebant iura. Dedecus id eſſet Inquiſitoribus ſemel captam ſic emittere: Nocens eſſe debet per fas nefas,quam illi modo ſemel vinculis amplexi ſunt.

32.In-

32. Interim & tum, & iam ante ſubmittuntur Sacerdotes imperiti, impetuoſi, lictoribus ipſis importuniores: horum officium eſt eo vſque miſeram omnibus modis diuexare, dum ſe tandem, ſiue ſit ſeu non ſit, ream fateatur: ni id faciat ſaluari ſimpliciter non poſſe clamant, nec ſacramentis muniri.

33. Ne vero Sacerdotes ſedatiores, doctioresque, & qui fœni aliquid in cornu ac in corde ſalis geſtent, admittantur, expreſſiſſima cautio eſt. Vti & ne quiſquam alius ad cuſtodias accedat, qui aduocare aut Principes erudire poſſit. Nihil enim quidam æque formidant, quam ne quo modo tale quippiam ſe forte prodat, quo captarum innocentia in lucem proſiliat. Itaque cuiuſmodi generis viris non modo orbis terrarum iuuentutem, ſed & ipſi Principes conſciêntiam ſuam fidunt, hos quidam eorundem Principum Inquiſitores eo habent loco, vt non modo à conſcientiis reorum quantumuis expetiti ſint eos remoueant,

ucant, ſed & iactitare ad nobilium menſas nuper auſi ſint, à patria merito exigendos eſſe, tanquam Iuſtitiæ turbatores.

34. Interea vero dum Gaia ſic vt dixi adhuc in carcere attinetur, & à quibus minime debebat diuexatur, non deſunt Iudicibus accuratis pulcherrima inuenta, quibus non modo noua indicia contra Gaiam reperiant, ſed quibus etiam in faciem eam ſic conuincant (ſi Diis placet) vt Iudicio Academicorum Doctorum tum ſaltem viua exurenda eſſe pronuncietur: vti ſuperius oſtenſum eſt.

35. Quidam tamen ex abundanti & exorciſari Gaiam iubent, & in alium transferri locum, ac ſic iterum torqueri: ſi hac forte mutatione loci & expiatione maleficium taciturnitatis poſſit diſcuti: Ac ſi ne ita quidem proficitur, tum demum viuam flammis immittunt. Scire cupiam me Deus amet, ſi & faſſa & inconfeſſa perit, quis hic tandem quantumuis innocenti euadendi ſit modus? Miſeram te nimis, quid ſperaſti?

Digitized by Google

raſti? quid non primo in carcerem acceſſu ream te feciſti? Age ſtulta mulier & veſana quid toties vis mori cum poſſis ſemel? Sequere conſilium, & ante omnem pœnam dic te ream, & morere; non euades: nam hæc denique zeli Germaniæ cataſtrophe eſt.

36. Itaque ſi ſe quæpiam vi dolorum falſo ſemel ream fecit, dici vix poteſt, quæ miſeria ſit. Nam & medium nullum ſuppetit apud pleroſque quî euadat, & alias quoque reas facere cogetur quas neſcit, quasq; non infrequenter Quæſitores in os indunt, aut lictor ſuggerit, aut quas iam ante infames, aut delatas, aut ſemel captas & dimiſſas audiuerunt: quæ cum rurſum alias, & illæ quoque alias indicare debeant, & ſic deinceps; quis non videt in infinitum iri oportere?

37. Quare & ipſi Iudices vel abrumpere proceſſus, & damnare artem ſuam debent, vel & ſuos denique, & ſemet, atque omnes exurere: Nam ad omnes tandem falſiſſimæ denunciationes excurrent, &, ſi modo

do tormenta ſuccedant, ſontes oſtendent.

38. Vnde & ij denique inuoluuntur, qui initio vel maxime clamabant vt incendia conſtanter alerentur: Neque enim præuidebant imprudentes, ad ſe quoque ordinem neceſſario peruenturum. Et hi quidem iuſto Iudicio Dei: quippe qui peſtilentibus ſuis linguis cum tot nobis maleficos creaſſent, tot innocentes ignibus addixerunt.

39. Sed iam multi prudentiores atque eruditiores id cernere paulatim incipiunt, & quaſi ex graui ſomno excitati aperire oculos, ac lentius cautiusq; ſæuire.

40. Neque eſt quod negent Iudices ſe ex ſolis denunciationibus ad tormenta procedere: oſtendi enim ſupra vere procedere, ac proinde fallere optimos ſuos Principes cum negant. Nam & fama quam fere cum denunciationibus coniungunt, inualida eſt ſemper atque nulla, cum legitime nunquam probetur: Et de Stigmatis quę nugantur, miror nondum annotatum

à ſa-

à ſagacibus eſſe, fallacias fere eſſe lictorum.

41. Interim vero dum ſic feruent proceſſus, & quæ torquentur aliæ alias ſtrenue denunciant acerbiſſimis cruciatibus coactæ; mox foras manat qui nam hi & iſti ſic denunciati ſint: Nam hæc ratio ſecreti eſt eorum, qui quæſtionibus interſunt: Et id non ſine ſuo fructu, cum hinc ſubito contra denunciatos indicia captare poſſint per hoc dilemma: Nam ſi qui audiunt ſe delatos eſſe vt ſane audiunt; vel tum illi fuga ſe ſubducunt ne capiantur, vel conſtantes in loco manent: Si fugam arripiunt, iam hoc aiunt ingens culpæ & metuentis conſcientiæ indicium eſt: Si manent autem, tum & hoc indicium eſt: quia dæmon, aiunt, eos detinet, ne abire poſſint; vt nuper non ſemel cum gemitu audire debui.

42. Præterea ſi quis adit Quæſitores, & an verum ſit quod audit, interrogat, quo mature defendat ſeſe, & via iuris venienti incommodo occurrat; iam id

Digitized by Google

id quoque pro indicio eſt, quaſi conſcientia & culpa eum moueant, contra quem nihil tamen ab Inquiſitoribus ſit adhuc motum.

43. Sed & quicquid agat conciliat ſibi famam; quæ poſt annum vnum & alterum ſat adulta; ad torturam ſufficiat cum denunciationibus coniuncta; licet ipſa hæc ex denunciationibus primum contracta ſit: nam & hæc exempla vidi.

44. Similiter eis euenit quoſcunque calumniam aliquam à maleuolo quopiam pati contigerit: Nam vel defendunt ſe iudicio, vel non defendunt: Si non defendunt, indicium id culpæ eſt, quod tacent: Si defendunt autem, iam latius ſpargitur calumnia, & ſuſpiciones ac prurigo veſtigandi commouentur iis, qui ante ignorabant, diditurq; mox fama, quæ deinde nunquam obruatur.

45. Itaque nihil pronius factu eſt, quam vt hos quoque facillime nominare eæ ſoleant quæ interea tor-



Digitized by Google

quentur, & nominare aliquas coguntur.

46. Vnde & COROLLARIVM quoddam conſequitur rubrica enotandum: quod ſi modo proceſſus conſtanter vrgeantur, neminem hoc tempore cuiuſcunque ſexus, fortunarum, conditionis & dignitatis fuerit, ſat eſſe tutum, qui modo aliquem ſit nactus hoſtem & detractorem, à quo in Magiæ ſuſpicionem & famam pertrahatur. Vt ſane quocunque me obuertam miſerrima horum temporum ſit ratio, niſi aliter prouideatur. Dixi ſupra, & verbo repeto, non poſſe peſtem hanc, quæcunque eſt, incendiis aboleri: ſed aliter tamen efficaciſſime poſſe vix pauco ſanguine effuſo. Sed quis noſſe volet? Plura dicere conantem dolor obruit, vt accurate & ad vnguem ſummam hanc perficere non poſſim, nec, quod alias non inutile futurum erat, verſionem Germanicam meditari: Erunt fortaſſe qui id patriæ ſuæ & innocentum amori

nori dabunt, vt accuratius perficiant.
d ego denique eruditos omnes ; &
ios, ac prudentes, moderatosq; re-
um æſtimatores ( nam cæteros non
noror ) per omnipotentis Iudicis tri-
unal obteſtor, vt quæ ſcripſimus tra-
ctatu hoc, non parum ſedulo euolant, NB
c expendant: In magno periculo ſa-
utis verſantur Magiſtratus omnes &
Principes, niſi attentiſſimi eſſe velint.
Non mirentur, ſi quid acriter ſubin-
le & animoſe eos admoneo: neque
nim inter eos me eſſe deceat, quos
ppellat Propheta canes mutos non
alentes latrare. Attendant ſibi & v-
niuerſo gregi, quem de manu eo-
rum olim DEVS accuratiſſi-
me requiret.

# APPENDIX.

## QVID POSSINT TORTVRÆ & Denunciationes?

POſſunt pene omnia. Vnde quidam nuper non illepide Torturam appellabat Omnipotentem. Et circumferuntur ſane exempla non pauca eorum, qui tormentis victi falſiſſima de ſe confeſſi ſunt, & plexi ob neces hominum, qui deinde viuere reperti ſunt, & ſimilia. Sed nolui ego vnquam hoc libello exemplis vti; tum ne chartam narrationibus implerem, quod quiuis poteſt; tum ne quiſpiam ſuſpicari vellet rara hæc igitur eſſe, ac non quotidie contingere. Vnum tamen libuit hic apponere, quod ingentem hominum turbam complectitur, & miror non magis hactenus annotatum eſſe: eſt autem tale:

## EXEMPLVM MEMORABILE.

ARſit olim Vrbs Roma ſub Nerone Imperatore: caſu id factum ſit, ſeu Principis eius iuſſu, dubium eſt; lege Scriptores, Tacitum, Suetonium, Dionem, Sulpitium, Baronium, & alios. Conſtantiſſimus certe rumor Principem in culpam vocauit, ſed hanc ille mox tranſtulit in Chriſtianos: quos quia tunc vulgi fama vt ſceleratos & ad quiduis proiectos differebat, corripi primum quoſdam iuſſit & torqueri. Hi igitur tormentis victi de ſe faſſi ſunt, tum & alios indicarunt ſeu denunciarunt: ita vt ex horum denunciationibus & tormentis ingens ſubito multitudo conuicta ſit, non ſolum incendij eius rea fuiſſe, ſed & multo amplius odij in humanum genus. Quare deinde vt incendiarij & humani maxime generis inimici varia morte plexi ſunt; atque alij quidem ferarum tergis contecti la-

niatu canum diſcerpti ſunt, alij affixi crucibus, alij exuſti; atque vbi defe-ciſſet dies, in vſum nocturni luminis cremati: cum ſcilicet infixi palis & di-poſiti per amphitheatrum, tum pice ac reſina circumfuſi & obligati, ac ſic accenſi inſtar tædarum exarſerunt. Quo alluſit Iuuenalis, cum ait Sat. 1.

*Pone Tigillinum; tæda lucebis in illa*
*Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture*
*fumant.*

Cornelij Taciti fidi Scriptoris de re to-ta verba luculenta ſunt Annalium lib. 15. cum ſic ait:

*Ergo*, inquit, *abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat, &c. Igitur primo correpti qui* FATEBANTVR. *Deinde* INDICIO *eorum* MVLTITVDO INGENS *haud perinde in cri-mine incendij, quam * odio humani generis* CONVICTI. *Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flam-mandi, atque vbi defeciſſet dies in vſum no-cturn*

* *Forte hinc* Vnholden *Germanorum.*

*cturni luminis vrerentur*. Sic ille. Circa quod exemplum notet lector & conſideret ſequentia.

Primo, Proceſſus Neronis contra Multitudinem ingentem his indiciis ſeu probationibus ſubnixus fuit: 1. Fama, qua peſſime audiebant Christiani. 2. Confeſſione propria tormentis expreſſa. 3. Confitentium denunciationibus, nam ita denique & incendij, & inimicitiæ humani generis innocentiſſimi homines conuicti ſunt.

Secvndo, Permiſit Deus non vt pauci tantum ſic conuincerentur & perirent, ſed vt multitudo ingens.

Tertio, Omnes eos, qui ſic conuicti perierunt, Eccleſia ob hoc ipſum pro Martyribus colit, & eorum memoriam celebrat Octauo Kalendas Iulij, vbi ita de eis loquitur Martyrologium Romanum: *Erant*, inquit, *hi* Omnes *Apoſtolorum diſcipuli & primitiæ Martyrum, quas Romana Eccleſia fertilis ager Martyrum ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.*

QVARTO, Nec obfuit Martyrio, quod tormentis victi & ſe & alios fecere reos: Nam omnes ſimpliciter Martyrologium vocat Martyres. Nec de aliis loqui Martyrologium, & de aliis Tacitum, ſed de iiſdem plane, facile intelliges, ſi Martyrologium inſpexeris, quod Taciti ipſa verba recitat. Vide quoque ſi lubet annales Baronij in anno Chriſti 66. & Sulpitium Seuerum hiſtor. lib. 2.

QVINTO, Nec Martyribus igitur, nec Apoſtolorum diſcipulis, nec in ipſo Chriſtianitatis primo feruore luctantibus ea ſuppetiit conſtantia quæ contra tormenta & denunciationes euinceret.

SEXTO, Hæc mens Neronis in tormentis adhibendis fuit, vt torti ſe reos faterentur: niſi id quoque hodie tormentis intenditur, quid obſecro intenditur? Repete quæ ſupra ſparſim diximus. Quod ſi tamen aliud intenditur, eſt quod gaudeam, bene habet.

SEPTI-

Septimo, Eſto autem aliud nunc Iudices intendant quam Nero; eſto etiam pluribus ex indiciis quam ille, ad tormenta aduolent; id tamen non obſtat, quin eadem nunc vis ſit tormentorum, quæ olim fuit. Vti tunc igitur tormenta & denunciationes innocentiſſimum quemque reum facere potuere, poterunt & nunc quoque. Ac ſi nunc vere rei ſunt, qui rei denunciantur, tunc quoque vere rei erant, qui rei denunciabantur. Certe Iudicum Neronis non eadem cum Nerone mens fuit, iudicio tamen eorum Martyres conuicti ſunt.

Octavo, Cum Nero tormentis & denunciationibus Mvltitvdinem Ingentem tam Sanctorum hominum reos feciſſet: dubium non eſt, quin ſi pergere vlterius voluiſſet, nunquam inueniſſet finem reorum. Nam vti tam multi conuicti erant, ita & reliqui conuinci potuiſſent, & hæc hodie quoque cauſa eſt,

ſa eſt, cur, vbi denunciationibus inſiſtere pergimus, ad finem impoſſibile venire ſit,

Dices, Putat Baronius Tacitum in dato Exemplo mentiri, quod quidam Chriſtiani tormentis ſuperati ſe & alios falſo reos fecerint.

Respon. Putant alij, qui vim tormentorum paulo quam multi perſpectiorem habent, Tacitum non mentiri. Et ſane cum iudicialiter habitæ quæſtiones illæ Neronianæ ſint, & latæ ſententiæ: non eſt credibile, in inconfeſſos & negantes ſæuitum eſſe: cum id plane cum intentione Neronis pugnaſſet; quippe qui ſic auxiſſet rumorem de ſe conceptum, non aboleuiſſet. Neque Tacitus in hac quidem re Chriſtianis iniquior quam Neroni fuit; quin potius fauit, ac, ſi attendas, ſatis innuit fuiſſe Chriſtianos innoxios, & magis nocentem Neronem. Sed nec mirari debet Baronius etiam Sanctos tam exquiſitis pœnis initio ceſſiſſe, deinde pœnituiſſe, & fruſtra

ſtra reuocaſſe, ac ſic nihilominus martyrio decoratos eſſe: Nam & hodie ſi ſanctiſſimi quique noſtris quæſtionibus ſubderentur, æque ſuccumberent; vti neminem adhuc de ſe diffitentem audiui, qui vel ſemel tormenta hæc propius ſpectauiſſet.

Sed hæc clarius olim ad Tribunal DEI. Tu nunc vale Lector, atque exemplum hoc mente verſa, ac Numen time.

FINIS.

Digitized by Google

# PROTESTATIO.

*Si quid ſcripſi, quod Eccleſiæ ſanctæ Romanæ diſplicet, id vanum eſto; damno, & deteſtor; uti & quod quem-quam iniuſtè lædat, &c.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Emi 6 . a/3 .

Digitized by Google